6
11-G

6
9 M
18

6-12-G.5

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

MAGNI COSMI MEDICEI
VITA

Digitized by Google

BIBLIOTECA

Digitized by Google



Pontormo pin. *Eredi ſc.*

Digitized by Google

MAGNI COSMI MEDICEI VITA

AUCTORE

ANGELO FABRONIO

ACADEMIAE PISANAE

CURATORE

PISIS MDCCLXXXIX.

EXCUDEBAT ALEXANDER LANDI

IN AEDIBUS AUCTORIS.

Digitized by Google

PETRO LEOPOLDO
ARCHIDUCI AUSTRIAE
MAGNO ETRURIAE DUCI &c. &c.

ANGELUS FABRONIUS

QUoniam a Te, Celſiſſime Princeps Regie, ſingularibus beneficiis auctus nil aliud poſſum munificentiae Tuae red-

Digitized by Google

dere quam ſtudia, ut ſic dixerim, in umbra educata, etiam atque etiam peto, ut quae de Coſmo Mediceo P. P. litteris mandavi aequo animo accipias. Hoc quoque in gloriam tuam cadet eos & patrocinio Tuo foviſſe, qui nequeunt niſi mediocria munera offerre. Cum vero in hoc ipſo opere ſaepe inciderit locus, ut de moribus, legibus, inſtitutis, quae vigebant in Republica Florentina, eſſet dicendum, quid majoribus noſtris defuerit de illa ſcientia, cui

propoſita eſt rectio civitatum & populorum felicitas, & quae ex multis & magnis rebus conſtat, facile quilibet intelligere poterit, cum tot ac tanta a Te ſapientiſſime juſſa ac ſcita cum veteribus conferet. Ac mihi quidem videtur ſaeculum hoc noſtrum hac re maxime ceteris praeſtare, quod philoſophia ſuppeditaverit Imperantibus certiſſima ac tutiſſima praeſidia ad bene & praeclare Rempublicam adminiſtrandam, quibus qui prudenter uti ſciverit, is

Digitized by Google

non modo inter homines excellere, ſed ad Deum, cujus imaginem & vicem in terris gerit, propius accedere judicetur.

Digitized by Google

MAGNI COSMI MEDICEI

VITA

Qui de noſtrorum temporum conditione queri ſolent, ſi memoria vetera repeterent, profecto aut nos beatos, aut ſaltem non omnino miſeros eſſe judiçarent. Scribentibus nobis de vita Coſmi Medicei, qui publico decreto Pater Patriae appellatus fuit, occurrunt ſtatim peſtilentiae, fames, domi civiles diſcordiae atque odia potentiorum, quae non tam in malorum, quam in optimi cuiuſque fortunas ac vitam erumpebant, foris bella, in Catholica Eccleſia ſchismata, direptiones civitatum, vaſtationes agrorum, incendia, caedes, quae mala univerſam Italiam, ſed praeſertim Rempublicam Florentinam quaſi fatali aliqua neceſſitate vexabant. In tanta rerum perturbatione & hominum perfidia atque iniquitate ſi quis exortus eſt ae-

Digitized by Google

qui et boni & omnis praeclarae famae amans, qui fortunae motus ratione ſemper gubernavit, & ſapientiſſimis conſiliis, amplisſimisque bonis ſua & majorum induſtria partis incolumitati & decori patriae proſpexit, is profecto non laudem modo, ſed & admirationem poſteritatis habere debet, & dignus eſt, cujus geſta hiſtoriae monumentis commendentur. Multa de Coſmo Florentinarum rerum ſcriptores, Machiavellius & Ammiratus, ſeparatim etiam Silvanus Razzius tradiderunt; quod nullus tamen horum plane ſatisfeciſſe ejus ſtudioſis videatur, nos postquam in ipſius nepotis Laurentii Medicei vita declaranda ingenii periculum fecimus, quid in hujusmodi ſcriptione poſſemus iterum periclitandum putavimus. Utinam Etruriae commodo & gloria! Magnarum enim virtutum exempla in illuſtri poſita monumento vel ignaviſſimos ad illa imitanda excitant; & quod praeclara ac fortia ſuaviter jucundeque reminiſci ſolemus, & ad omnes gentes facile pervadant, aeternitatem, immortalitatemque non modo iis, qui illa ediderunt, ſed etiam civitatibus, in quibus perpetrata fuere, peperiſſe videntur.

Tantus vir patriam habuit Florentiam, parentes vero Joannem Averardi cognomento Biccii Medicei F. & Piccardam Averardi Buerii F. Quod in lucem editus eſt an. MCCCLXXXVIII. die SS. Martyrum Coſmi & Damiani feſto, Coſmi nomen obtinuit. Familiae paternae, quae ex Mucellano agro Florentiam venit, an-

tiquitatem nobilitatemque plura monumenta declarant, illud in primis quod vel a xii. ſaeculo Medicei Eccleſiae S. Thomae, prope quam aedes ſatis amplas habebant, patroni & cuſtodes fuisse videntur (1). Praeſtitit & nobilitate inter Florentinas Bueria familia, quae vel ab ſaeculo xiii. tenuerat ſummos in libera civitate honorum gradus. Joannes, quamvis ea, quae ſaciebat, quaeque dicebat, multitudini praeſertim jucunda eſſe volebat (populo enim nunquam non favit Mediceorum familia, cujus studiis ac ſuffragiis ipsa crevit) ſequebatur tamen ſemper honeſta et juſta conſilia, & cum ei ante oculos obverſaretur exemplum Veri Medicei, qui paullo ante, ſeditione plebis facta, imperium in ſuos tenere potuisset, niſi Reipublicae dignitatem ſuae antetulisset, moderate ſua auctoritate utebatur, & quantum poterat efficiebat, ut conspiratio & concordia omnium ordinum eſſet ad conſervandam libertatem. Sed non ſemper ex Republica, ut decebat, fructus laetos & uberes, sed interdum magna acerbitate permixtos tulit. Quo illum moerore afflictum & profligatum eſſe oportuit cum plures ſuae gentis a. mcccxcvii. aut in exilium pulſos, aut morte affectos vidit, ſic ut ad nihilum Mediceorum omnium auctoritas atque potentia veniſſe videretur! Nihil ille non egit, ut amissa recuperaret, & cum divitiis abundaret, natura beneficus & liberalis esset, atque ex bonis factis magnam famam collegisset, poſtquam legationes obivit ad Vene-

tos, ad Ladislaum Apuliae Regem, & ad Pontificem Max. Martinum v. quem Florentia Romam redeuntem etiam comitatus est, ſummum honoris gradum (Vexilliferum Juſtitiae appellabant) an. MCCCCXXI. obtinuit. Fortasse citius ad illum pervenisset, niſi obſtitisset Thomas Albitius Mediceis omnibus inſenſissimus, cujus ſumma erat in Republica auctoritas, quo mortuo, ejus odii & potentiae heres fuisse videbatur Nicolaus, qui a loco, a quo oriundus erat, Uzzanius cognominabatur. Hic quidem nihil non molitus est ut Joannem ab illa dignitate excluderet, pluribusque verbis exposuit quanta a Mediceis timenda essent ſi priſtinam auctoritatem recuperarent, omnibusque jam exploratum eſse debere, non conquieturam plebem & omnia permixturam, ſi quisquam eorum fortunae & honorum muneribus ornatus extitisset, in quo ſpes ſuas collocare posset. Non divitias modo, ſed & vel ipſas virtutes Joannis, quae tamen omnibus manifeſtae erant, homo nobiliorum fautor eximius, invidioſe criminatus eſt: verum ei nihil ex ſententia ſucceſſit, quod ejusdem magis, quam Joannis nimia timebatur potentia. Hic quidem in obeundo magiſtratu ſumma prudentia ſe geſſit, & aperte civium commodis, & occulte ſuorum utilitati conſuluit. Gaudebat quod duos ſuſcepiſſet liberos Coſmum & Laurentium, in quibus magnam ſpem exiſtimationis, privatarumque rerum ponere ſe

poſſe intelligebat. Excellentis enim ingenii & ſingularis bonitatis ſigna vel ab ineunte aetate dederant. In Coſmi praeſertim animo nihil agreſte, nihil inhumanum apparebat. Per ſummos viros illum inſtituendum curaverat (2), & cum ab eo exigeret, ut multa legeret & ediſceret, id ſtudebat maxime, ut penitus inhaereſcerent in ejus mente magnorum virorum & optimorum civium facta atque exempla. Quod ineuntis aetatis inſcitia ſenum prudentia regenda eſt, domum ſuam ſaepe invitabat, qui magnum in Republica uſum habebant, & ſapientia valere putabantur: omnino nihil negligebat, tanquam bonus agricola, quod ad colendos teneros liberorum animos praeparandoſque ad virtutem conducere poſſe videbatur. Laudes, quas de illis haberi audiebat ab Ambroſio Traverſario Camaldulensi homine, cujus tum omnes ſuſpiciebant ingenium, judicium atque virtutes, & ad quem, cum degeret in monaſterio Angelorum, tanquam ad academiam quamdam flos nobilitatis et juventutis concurrebat, ſpem maxime in Joanne augebant, fore ut per illos non Mediceorum modo, ſed & Florentinae Reipublicae gloria illuſtrior fieret. Ratio vero cum adolevit atque perfecta eſt in Coſmo, omnia cum illo, quae ſe cura aliqua afficiebant, & omnia de Republica conſilia libentiſſime communicabat, neque periculum ab invidis extimeſcebat, modo factorum ſuorum gloriam cum illo partiri poſſet.

Accidit per illa tempora, ut Florentini pecunia, vi omnique arte Piſas occupare ſtuduerint. Poſtquam urbem crudeli obſidione diu clauſiſſent, haud recuſandum putarunt, quominus illam quibuſdam conditionibus a Joanne Gambacurta (3) acciperent. Obſides propterea dandi erant nobiliſſimi civitatis, fuitque in illorum numero Coſmus, qui ab ineunte aetate nihil tam concupivit, quam ut operam et ſtudium navare poſſet Reipublicae. Neque minus laborabat ut paternam rem augeret, & facultates ad largiendum magnas compararet, quanquam id erat periculoſum, quia non deerant, qui ſeditioſa atque improba oratione ſpargerent in vulgus, timendam Joannis potentiam, quod cum domi non ſolum, ſed etiam apud finitimas civitates multos aere obſtrictos haberet, plus privatus poſſet quam ipſi Magiſtratus. Inter eos, qui ejus fidei & arcae confidere videbantur, erat Balthaſar Coſſa Neapolitanus, qui Joannis XXIII. nomine de Pontificatu maximo decertabat cum Gregorio XII. & Benedicto XIII. Poſtquam Reſpublica Chriſtiana diro ſchiſmate, quo nullum diuturnius extitit, vexata fuit, qui de ejus concordia laborabant, rem ad Coſtantienſe Concilium detulerunt. Venit ad illud ipſe Joannes, & ſecum habere voluit cum Leonardo Bruno Aretino aliiſque multis itineris ſocium Coſmum, quod perutile rationibus ſuis fore ſperaverat. Aegre illum a complexu ſuo dimiſit Lecta Conteſſina Alexandri Soz-

zi de Comitibus Bardi, & Millae de Comitibus de Ilcio Filia, quae paullo ante ei nupta fuerat. Sed facile erat Florentinis a ſuis laribus familiaribus vel in remotiſſimas regiones proficiſci, quando aut publica, aut privata ſuadebat utilitas. Homini jam collum in laqueum inferenti quantum potuit ſubvenit Coſmus. Vidit enim hic ſtatim quanta timenda eſſent pericula Joanni Pontifici a Coſtantienſi Concilio, in quo dominabantur homines eidem infenſiſſimi, quae pericula non minus ſuum quam illius animum ſollicitum habebant. Poſt multas concertationes eo deducta res fuit, ut Joannes omni dignitate privaretur, cum Pontifex maximus an. mccccxvii. creatus fuiſſet Cardinalis Oddo Columna, qui Martini v. nomen ſibi adſcivit. Ex quo Joannes intellexit deſperandum eſſe de rebus ſuis, fuga ſalutem quaeſivit, & cum eo mutatis veſtibus fugiſſe dicuntur Coſmus omneſque, qui illius partium atque itineris comites fuerant. Venit tamen Joannes in poteſtatem Ludovici Bavariae Ducis, & non niſi magna auri vi, quae ſoluta fuit Venetiis a Joanne Mediceo ejuſque nummulariis ſociis, libertatem ſuam redemit (4). Studia Mediceorum curaeque de ſalute Joannis minime a Florentinis alienarunt Martini animum, quin immo ſignificavit per Leonardum Datum, qui univerſae Dominicanae familiae praeerat, & quem ob ſingularem in rebus agendis prudentiam ſuum legatum ad eos miſerat (5), ut omnia a ſe benevolentiſſimi

Digitized by Google

hominis beneficia exſpectarent, ſeque jam deliberaſſe ad eos venire, apud eos commorari (nam tum Roma, Ladislai Apuliae regis armis antea capta, in poteſtate erat ejus ſororis Reginae Joannae hujus nominis II.) eorumque conſiliis & opera res ſuas privatas & publicas adminiſtrare. Exceptus ea pompa iiſque laetitiae ſignis fuit, quae decebant ſummum Pontificem ampliſſima familia natum, & de cujus virtutibus magna percrebuerat fama. Sed nihil ei tam glorioſum & jucundum fuit, quam videre jacentem ad pedes ſuos & praeteritorum veniam efflagitantem in ipſa urbe Florentia illum Balthaſarrem Coſſam (6), qui adeo ſuperbierat fortuna, ut nunquam conquieturus videretur, niſi ampliſſimum, ad quem malis artibus aſcenderat, dignitatis gradum, dejectis aemulis, retinuiſſet. Id ſe feciſſe auctoribus Joanne & Coſmo Mediceis dicebat, quorum conſilii neminem potuiſſet poenitere. Non fuit hoc ſine multorum lacrimis & dolore. Nihil enim tam miſerabile quam ex beato miſer, & ex fortunato calamitoſus. Haec miſeratio & cohortatio Florentinorum facile obtinuit a Martino, ut Joannem Cardinalem crearet, eique primum in ampliſſimo Collegio locum concederet. Sed haec tanti non erant ut ſolarentur hominem, cujus mores ad nimiam ſemper ambitionem incubuerant. Itaque ſive doloris morſu, ſive morbi vi oppreſſus paullo post mortem obivit, & quod compoſuit teſtamentum ſatis declaravit quanti Medi-

di-

diceos faceret. His enim praeſertim mandavit, ut quae juſſerat per eos ad exitum perducerentur. Quod tam praeclarum ille ſibi dederat judicii & amoris ſui teſtimonium, novendialibus exequiis, pompa & magnificentiſsimo monumento, quod magna ex parte a Donatello ſculptore eximio elaboratum in Aede S. Joannis poſitum fuit, tanti viri non tam proſpera quam adverſa fortuna clarissimi memoriam honorandam curarunt. Non eſt tacendum propter celebritatem hominis, Franciscum Philelphum pro odio, quod habuit in Mediceos ac praeſertim in Joannem & Coſmum, quem exilii ſui ab urbe Florentia cauſſam fuisse putabat, improbum & furioſum adeo calumniatorem horum extitiſſe, ut quos origine cauponarios, carbonarios, aleatores, foeneratores, omnique labe foedatos dixit, veneno Joanni Pontifici mortem intulisse affirmaverit, quo illius bona atque pecunias occuparent (7). Quid inveroſimilius & monſtroſius excogitari & ſomniari unquam potuit? Ex annalium monumentis & ex Joannis ipſius teſtamento (8) cognoscitur falſo etiam a quibusdam aliis propter civilia ſtudia & obtrectationes domeſticas Mediceorum familiae inimicis memoriae proditum fuiſſe magnas divitias ex hereditate Joannis illis obveniſſe. Nihil ſane ſperare poterant ab homine adeo fortunae fluctibus jactato, ut dubitaverit, num quod in bonis habebat ſatis esset ad ſolvenda, quae ſcripſerat, legata. Sed haec ut & alia hujusmodi (9) pluribus verbis confutare non

Digitized by Google

eſt neceſſe, quamvis tum eae eſſent artes Florentinorum, ut omnes vias pecuniae & noſcere & quaerere viderentur. Profecto Coſmus, ut erat frugi & integer vir, nil niſi rectum honeſtumque expetebat, & dum laborem pecuniamque ſuam hominum aut periculis calamitatibuſque ſublevandis, aut tuendis augendiſque fortunis impertiebatur, munire ſibi viam ad gloriam volebat, & propugnacula praeparare, quibus contra invidorum impetus ſe uſurum arbitrabatur. Ut vero facultatem exercendae liberalitatis haberet efficiebat induſtria, diligentia, ordo & parſimonia, quae maxime apta eſt naturae, rei familiari atque Reipublicae. *Quod ſi omnia mihi* (ajebat ipſe) *quae ad vitam cultumque pertinent, quaſi virgula divina ſuppeditarentur, non propterea de augendo patrimonio minus laborarem, quia ex omnibus officiis illud praeſertim colendum eſt, quod ad conjunctionem hominum, & ad patriam conſervandam ornandamque valet*. Tum vero ſe beatum putabat quando pietatis ſuae fructus a populo Florentino ferebat, cum non ſibi modo, ſed & liberis proſpiciendum esse diceret. Binos enim ſuſceperat, alterum nomine Petrum, qui lucem adſpexit an. MCCCCXVI. Kal. Quint. alterum nomine Joannem, qui in vitam quinquennio poſt Kal. Novemb. venit.

Cum majoribus rebus, geſtis jam minoribus quibusdam magiſtratibus, praeeſſe coepiſſet, an. MCCCCXX. poſt. non. Maii una cum Laurentio Ridolfio legatus

Mediolanum mittitur ad Philippum Mariam Vicecomitem Ducem, ut ei de pace per Nicolaum Ateſtinum Ferrariae Marchionem confecta gratularetur (10). Appetierat ille amicitiam Florentinorum, quod hanc utilem ſibi fore ſperaverat ad recuperandas nonnullas Cisalpinae Galliae urbes, quae in poteſtatem Venetorum pervenerant, & ad Genuam occupandam, quae tum, Duce Thoma a Campo Fregoſio, ſuis regebatur legibus. Quanquam nonnulli essent, & in his Ginus Capponius magnae auctoritatis homo, qui multis rationibus ſuaderent non esse e Republica favere praecipiti & effrenatae dominandi cupiditati, quae satis clare in Philippo apparebat, quin immo illam diu incenſam comprimendam atque reſtinguendam, pax tamen ea praeſertim conditione facta eſt, ne ille ſe immiſceret bellis & negotiis, quae citra flumina Panarum & Macram, & juga Apennini gererentur. Sed haec pax minus fuit diuturna propter ſubdolum, inquietum & novarum rerum appetens Philippi ingenium. Cum ipſe in ditionem ſuam redegiſſet Genuam & multa vicina oppida Florentinis commendata, de Sergiano aliiſque oppidis, quae citra Macram ſunt, ſibi & Genuenſibus pactus fuiſſet, Forum Livii, mortuo ejus Regulo Georgio Ordelaffio, ad ſuam potentiam dominatumque convertisset, licet is filium impuberem Thebaldum reliquiſſet, & alia hujuſmodi moliri videretur, plerique Florentinorum cenſuerunt eſſe e Reipublicae dignitate

amicorum injurias ulciſci, opem ferre Fregoſio, cui recenti beneficio erant obſtricti, quod per eum a Genuenſibus C. florenorum millibus Liburnum emerant, & motus conatuſque Philippi Ducis prohibere, ab eoque violatae pacis poenas repetere. Joannes & Cosmus Medicei in ea fuerunt ſententia, proque ea vehementer pugnarunt, non arma capienda adverſus Inſubrium Ducem, niſi ille aperte bellum Florentinis intuliſſet, neque id facturum videri propter Reipublicae opes & foederatorum potentiam. Addebant etiam non conducere ad ſtatum Reipublicae hujuſmodi ſuſcipere bellum, ex quo pericula metui, nullae ſperari potuiſſent utilitates. Vicit tamen ſententia eorum, qui ad arma vocabant, atque legati ad Pontificem, ad Caeſarem, ad Neapolitanorum Regem & ad Venetos mittuntur, qui voluntatem Reipublicae proponant, & auxilia poſtulent. Delectus etiam tota Etruria habentur, magnaque pecunia plures conducuntur, qui praeclari armatorum duces putabantur. Pugnatum eſt in Aemilia ad *Zagonaram*, & quamvis per totam Italiam concelebrata fuerit Mediolanenſium victoria, quorum impetum noſtri feſſi itinere & imbribus (erat enim tempus anni difficillimum) ſuſtinere non potuerunt, tres tantummodo, quod mireris, vitam amiſerunt. Nullus enim tum erat ordo, nullum imperium certum, & cum quiſque Ducum ſuo conſilio uteretur, ubi adduci rem in periculum videbant, ſibi ſuiſque militibus, quos ma-

gno vendebant, ſeu potiùs mutuabantur, fuga conſulebant. Iis rebus Florentiam nuntiatis, magnus terror populum occupavit, ac ſi ipſi urbi hoſtis appropinquaret, jaciebatque ille licenter injurias in magnates; qui infeliciſſimi belli auctores fuerant. Ad illum placandum verba fecit Rainaldus Albitius, et poſtquam florentem Reipublicae ſtatum cum adverſariorum fortuna contulit, hortatus eſt omnes, ne animo deficerent, quaeque uſui eſſent ad perſequendum bellum pararent. Ipſe etiam arcano cum familiaribus ſuis colloquitur de frenanda populi licentia, mutandoque propterea civitatis ſtatu, quod cum fieri non poſſe intelligerent, obſiſtentibus Mediceis, quorum voluntate ac nutu ille regi videbatur, in partes ſuas illos trahere magnopere laborarunt. Joannes quidem multa graviter & ſapienter dixit, quae idonea eſſe putavit ad illos de propoſito deducendos; eam eſſe Reipublicae conditionem, eos Florentinorum mores oſtendit, ſi plebs excluderetur a Senatu publiciſque muneribus, perpetuis fluctibus agitatum iri civitatem, reminiſcerenturque illum quaſi Deum philoſophorum Platonem, Titanum e genere ſtatuere eos, qui ut illi caeleſtibus, ſic hi adverſarentur magiſtratibus, & iis, quae ſcita ſunt in populorum inſtitutis & legibus. Cetera inter Reipublicae juſſa erat, ut ſtato tempore magiſtratus eorum nomina in urnam conjiceret, qui civium ſuffragiis adlecti rem publicam eſſent ad certum nume-

rum annorum adminiſtraturi. Horum cum bimeſtre munus eſſet, ita ſorte ducebantur, ut ſemel ſinguli honore et magiſtratu functi, ſpatium illud temporis univerſi implerent. Ne cui autem facultas eſſet, ubi eorum nomina, qui essent in magiſtratu futuri, apud populum manarent, ipsos donis & pecunia tentandi, & lege & jurisjurandi religione vetitum erat aperire cui ſors ducenda esset. Tum erat e ſcribis unus Martinus Lucae Martini filius Joanni Mediceo multis nominibus amicissimus, qui illi prodidisse accuſatur, qui minime ex ſententia illius Rempublicam essent adminiſtraturi. Haec caussa juſtissima viſa eſt removendi ipſum ex munere, & quemdam Paullum in ejusdem locum ſubſtituendi. Tum Joannes neque amicum, neque ſe ipsum deſeruit, & qua pollebat auctoritate effecit, ut ſuus illi locus redderetur, quae res quidem magnas turbas et rixas excitasset, niſi vis & timor belli Mediceorum adverſarios continuisset. His artibus ſuam rem bene gerebant et publicam, & cum recuſarent nihil quod ad tuendam patriae libertatem confirmandamque ſalutem pertineret, conſilia ſua aequis judicibus ab obtrectatione invidorum defendenda commendabant. Cu· vero in eum caſum fortuna Rempublicam demiſiſſ... ut quam maxime egeret pecunia, novaque propterea imponenda essent tributa ad ſumptus belli faciendos, conſiliariis Mediceis, edictum fuit, ut quae antea ex capitum recenſione, ex cenſu in poſterum conficeren-

tur (11). Sic homines liberales & bonitate affluentes levare populum onere voluerunt, quod ſibi praeſertim ceterisque, qui bona & divitias habebant, impoſuerunt. Verum haec res cauſsa fuit multarum querelarum: nam nobiles a ſe exigi intolerabilia querebantur, plebs vero magnis clamoribus contendebat vitium praeteritorum tributorum corrigendum, quod divites pro fortunis, quas possidebant, non ſatis ſolvissent. Tantam licentiam repressit Joannes, nihilque praetermiſit, conſervans rationem inſtitutionemque ſuam, ut eſset concordia animorum ad civitatis decus ſuſtinendum & pericula removenda. Varia fuit fortuna belli, quod tot in Republica motus genuit, & pro quo a Florentinis expenſa fuisse dicuntur tricies uſque centena & quingena florenorum millia. Hujus cauſsa Coſmus plures legationes obivit, primum anno MCCCCXXIII. ad Lucenſes, anno poſt ad Bononienſes, ac demum exeunte an. MCCCCXXVI. ad Summum Pontificem, ut ei nuntiaret captam fuiſse Brixiam a Venetis Florentinorum foederatis, ut ejus iratum Florentinis ipſis ánimum placaret (nam an. MCCCCXX. ab iis diſceſserat cum imprecatione malorum propter carmina quaedam quae tota civitate ad illum irridendum canebantur) (12) utque ei gratias ageret de ſtudiis pacis, ipſumque in voluntate hujus conciliandae confirmaret. Ad plures menses Coſmus Romae commoratus eſt, & qua erat in tractandis negotiis dexteritate plura a Pontifice patriae ſuae utilia & decora aut obtinuit,

aut extorſit (13). Erant & cauſſae privatae, ut quam gratisſimus erga Pontificem cognoſceretur. Nam hic paullo ante Joannem eiuſque filios & nepotes Comites Montis Viridis (hoc nomen oppido, quod eſt in Dioeceſi Firmana) creaverat (14). De pace tamen agi minime coeptum eſt niſi Aprili an. MCCCCXXVIII. quo tempore Coſmus erat e Decemviris Reipublicae unus. At quae confecta eſſe videbatur Ferrariae per Cardinalem S. Crucis Pontificis legatum, brevi turbata eſt perfidia Mediolanenſium Ducis. Tandem ab hoc, armis aut defatigatione abjectis, aut victoria detractis, Florentini quae amiſerant oppida in Aemilia recuperarunt, et Veneti non Brixiam modo, ſed & Bergomum, harumque urbium agros latos & fertiles obtinuerunt.

Tranquillatis rebus externis, vehementiores domeſtici motus fuerunt cauſſa tributorum, aderatque ſemper Joannis Medicei prudentia ad illos compeſcendos, revocandoſque ad officium, qui illorum auctores eſſe putabantur. Sed dum ille lumen animi, ingenii, conſiliique ſui cunctis civibus porrigebat, ſuo magis quam Reipublicae tempore extinctus eſt an. MCCCCXXIX. x. Kal. Martias; & hunc diem fuiſſe civitati luctuoſum declaravit pompa funeris, qua ejus cadaver, comitantibus Magiſtratibus, Caeſaris, Venetorum, aliorumque Principum Legatis, & tota Mediceorum familia, ad S. Laurentii deportatum eſt (15). Hae exequiae ſumptui fuiſſe dicuntur publico aerario tribus floreno-

norum millibus; & ſane ſumptus nunquam melius poni poteſt quam in celebranda praeſtantium virorum memoria non ſolum ad factorum praemium, ſed etiam ad exemplum. Quod ſemper tetigit Joannem cura familiae non minus quam Reipublicae, cum eſſet morti proximus haec liberis ſuis dixiſſe fertur: *Nolo quis veſtrum exiſtimet me dolere, quod non diutius in hac vita maneam, in qua nihil ineſt niſi propagatio miſeriarum. Gaudendum potius quod mortem naturae debitam non vitia maturaverint, & quam vixi vita fuerit probata civibus, multis ſalutaris, nemini moleſta, vobiſque utilis, quos ampliſſimis fortunis locupletavi. Divitiae quidem opportunae ſunt ut utamini, opes ut colamini, honores ut laudemini, verum niſi temperantia, modeſtia atque juſtitia illas comitentur, in libera praeſertim civitate, in invidiam atque in diſcrimen facile poſſidentes adducunt. Ne vos igitur aut fortuna, aut popularis aura, aut dignitates e virtutis ſemita unquam dimoveant, beneficia & munera patriae non ambitioſe quaerite, delata ſic accipite, ut iis, a quibus accepiſtis, cumulate reddatis. Obverſetur vobis ante oculos ſemper multorum exemplum, qui in ſumma mala praecipitati triſte rerum humanaram ſpectaculum idcirco praebuerunt, quod nimia & extraordinaria concupiſcentes, fines aequabilitatis & legis tranſire minime dubitarunt. Utinam emori fortunis meis honeſtus exitus ſit, ne ſi majora, Deo & homini-*

bus volentibus , obtinuiſſem, potiorem curam familiae, quam Reipublicae habuiſſe judicarer.

Etſi ab ineunte aetate eam vitae rationem inierit Cosmus, ut nullum detrimentum exiſtimationis unquam fecerit, ſemperque virtutum laude creverit, non parum tamen oratione patris arrectus fuit ad magna & praeclara gerenda, praeſertim cum intelligeret omnium ora in ſe eſſe converſa, aequos bonoſque favere, nobilitatis principes locum invadendi quaerere. Non ſane facilis negotii erat dignitatem & famam ſervare, cum illi eſſent Florentinorum mores, iſque Reipublicae ſtatus, ut magnae divitiae, gratia & ſtudium populi ſuſpiciones & invidiam crearent, jurgia, diſcordiae, ſimultates, exilia, proſcriptioneſque bonorum omnia miſcerent, honorum cupido non tam nobiles quam vilissimos quoſque ſervilibus artibus addictos vexaret, audacia, largitio atque avaritia ſaepe pro pudore, pro abſtinentia & pro virtute vigerent. Accedebat, quod eodem tempore, quo pax non ſolum utilis, ſed etiam neceſſaria eſſe judicabatur mercaturis faciendis, quibus non modo creverat, ſed pene ſuſtentabatur Reſpublica (nam cuncta fere maria terraeque patebant Florentinorum induſtriae) bellum & facile ſuſciperetur, & obſtinate gereretur, & ſaepe amicitiae atque inimicitiae non ex commodo publico, ſed ex re privata potentiorum aeſtimarentur. Neque mediocris erat cupiditas ac ſtudium dilatandi imperii, quod omnibus

Digitized by Google

Principibus inſitum atque innatum eſſe videtur. Ad haec tempora munivit ſe Coſmus, & quod ei maxime curae erat Reipublicae incrementum, mente, conſilio ac etiam pecunia ejus commodis utilitatique ſerviebat. His ſubſidiis captum per ea tempora Marradium fuit (16), quod Aemiliae oppidum tum erat in ditione Manfrediorum, qui dominabantur non Faventiae modo, ſed & in omni Amonis valle. Horum opera & militibus ſaepe uſi ſunt Florentini propter locorum vicinitatem & hominum fortitudinem, ſed incidebant ſaepe cauſſae querelarum, & juſtam adeo querendi ſe cauſſam habere judicarunt de Ludovico Manfredio, ut non ſolum oppido vicinaque arce, quam poſſidebat, ipſum ſpoliaverint, ſed etiam publica in vincula conjecerint. Egit ille ſaepe cum Coſmo aliiſque Mediceis, ut tanta calamitate liberaretur (17), ſed horum aures ejuſdem queſtibus & luctui obſurduiſſe videbantur. Neque multo poſt Tredotium, alterum Aemiliae oppidum, quod habuerat Guelfus Guidius Comes perduellionis accuſatus, in poteſtatem Reipublicae venit. In tantis motibus, quibus agitabatur Italia, & in tanta multitudine imperantium, cum pleraeque civitates ac etiam oppida ſuos haberent dominos, ſuſcipiebant Florentini vicinorum praeſertim patrocinium, ſicque ſibi viam muniebant, ut quos tutati fuerant, leviſſimam vel ob cauſſam vi oppreſſos imperio coercerent. In iis ipſis fluctibus, quibus jactata eſt Ge-

C 2

nuenſium Reſpublica per Fregoſios, Adornios & Fliſchios mira fuit Coſmi dexteritas, ut nonnulli eorum ſuarum fortunarum & jurium ſibi Florentinos defenſores adoptarent, & tanquam patronos implorarent (18).

Sed his nihil erat potius, quam ut Lucenses in ditionem ſuam redigerent, ſpecie dimovendi a Republica foedum & inimicum ſibi hominem Paullum Guinigium, qui tyrannidem occupaverat. Qui Lucenſis belli auctores erant (erantque ceteros inter Rainaldus Albitius atque Cosmus, qui hac una in re conſenſiſſe videntur) etſi cum multis multa ſaepe egerant, tamen in rem fore credentes populum appellare & cohortari, talem habuerunt orationem, qualem convenire praeſentibus Reipublicae temporibus ſunt arbitrati. Nicolaus Uzzanius magna conſtantia, pluribuſque verbis redarguit hujuſmodi conſilium, ut vel odium concitare velle videretur in eos, qui illius duces erant. Sed vicit ſententia illorum, qui Lucenſibus, nulla aequitatis & fidei, qua ſemper fuerant illi in Florentinos, habita ratione, bellum indici & inferri debere contendebant (19). Itaque creatis Decemviris Baliae (ſic enim illos vocabant, quibus omnis cura rerum, quae ad bellum pertinebant, mandabatur) quam maximas poſſunt copias comparant, & magna ſpe praemiorum Nicolaum Fortebraccium inſignis hominem audaciae & rei militaris gloria clarum, qui per eos dies, excurſione facta in Lucenſium agrum, plura il-

Digitized by Google

lorum caſtella improviſo occupaverat, in partes ſuas trahunt. Exercitus poſteaquam in plura oppida irrupit,. Lucam obſedit, quam non armis modo, ſed & aquis Auxeris, quod flumen propter urbem fluit, conſiliario & auctore magni nominis architecto Philippo Brunelleſchio, expugnari poſſe Florentini ſperabant. Sed res longe aliter, quam rati fuerant, evenit. Lucenſes ira et metu anxii legatos Mediolanum miſerunt, qui Philippum Ducem edocerent quanto in periculo res eorum eſſent, rogarentque ne cunctaretur ſibi opem & auxilium ferre ob eam maxime cauſſam, quod ipſe facile civitatis imperium, dejecto Tyranno, obtenturus eſſet. Quanquam is paullo ante nunciantes Florentiam legaſſet (20), velle ſe Reipublicae amicitiam, ne quid ab ſe hoſtile timeret, nihilo tamen minus, vel quia id ſimulaverat, quo improviſus gravior accederet, vel mobilitate & perfidia ingenii pacem atque bellum mutare ſolitus, plenos bonae ſpei ab ſe Lucenſes dimiſit. Interea mandat Nicolao Picininio (21), & Franciſco Sfortiae, qui ejus ſtipendia merebant, quique ſummam bellicae virtutis opinionem habebant, ut in Etruriam, ſed diverſis itineribus, proficiſcerentur. Hos non ab ſe miſſos, ſed dimiſſos fuiſſe juravit, quod alere eorum milites diutius non poterat. Florentini repentino eorum adventu commoti ſuis rebus timere coeperunt, quas ut tutarentur, exercitum ab obſidione revocarunt. Tum facta conjuratio fuit

BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE VITTORIO EMANUELE ROMA

adverſus Guinigium, traditusque cum liberis in cuſtodiam Sfortiae mittitur Mediolanum ad Philippum Ducem, & cui inimici propter dignitatem pepercerunt, inventus eſt amicus, qui ei mortem afferret. Profecto ſi Picininius et Sfortia, ceterique, qui Lucenſibus favebant, conjunctis viribus & concordi animo dimicaſſent, magna clades et calamitas Florentinorum Rempublicam oppreſſiſſet. Sed horum artes et pecunia valuerunt ad removendum periculum Sfortianorum, quorum diſceſſu ii, qui Deum homineſque teſtabantur, ſe arma non cepiſſe contra Lucenſium libertatem, neque ut iis periculum facerent, ſed uti res ſuae ab injuriis inimiciſſimi Tyranni tutae forent, ſpem & voluntatem incepta perficiendi recuperarunt. Et cauſſa juſtiſſima Florentinis viſa eſt ad perſequendum bellum, quia Genuenſes Petram Sanctam et Motronum ceperant, quod ipſis conſentientibus Lucenſibus, quibus illa oppida parebant, feciſſe arbitrabantur. Potiti ſunt etiam aliorum locorum, quae ſunt in ora maritima, quaeque Florentinis erant commendata. Quod videbant igitur nomine pacis, quam petebant Lucenſes (22), bellum involutum eſſe, nihilque non timendum eſſe ab Inſubrium Duce, qui dominatum, quem occupaverat Genuae, ad Etruriam uſque dilatare cupiebat, ſibi providere, novos conſcribere milites, Venetos alioſque ſocios ad ſubveniendum ſollicitare, pecuniam mutuari, & omnia ea parare, quae bello eſſent aut

opportuna, aut neceſſaria. Eluviones, peſtilentia, qua Florentia affligebatur, & propter quam, praeter illam diſſenſionum civilium cauſſam, Cosmus cum ſua familia autumno an. MCCCCXXX. Veronae fuit (23), & annonae caritas pericula portendere putabantur. Porro in eo bello nulla ferme res proſpere ceſſit, & quae domi alebantur a Mediceorum adverſariis civiles diſcordiae, & ii qui foris aut militiae imperium, aut ſummum rerum judicium habebant (Commissarii vocabantur) quibus gloria et dignitate Reipublicae privata utilitas potior erat, omni praeclaro facinori moram atque impedimentum afferebant. Dimicatum etiam infeliciſſime fuit cum Picininio ad Auxeris ripas, victique Florentini ex praelio Piſas aufugerunt.

Jam multa oppida Piſanorum natura & viribus parum munita in hoſtium poteſtatem venerant, & novo foedere juncti Lucenſibus, ipſo inſtigante Philippo Duce, Senenſes & Jacobus Appianus Plumbini Regulus, ferro ignique ipſi Florentiae urbi minitari videbantur. Inter timorem, dubitationem ac moras Coſmus hortabatur populum ad vindicandos eorum perditos conatus, monebat ne Rempublicam ſeque deſereret, multa ſuperba, crudelia Mediolanenſium Ducis exaggerabat, levitatem mobilitatemque Senenſium carpebat, Appianum ut hominem ingratiſſimum, quippe altus educatuſque is fuerat in ſinu Reipublicae, cui moriens pater illum commendaverat, accuſabat, pror-

ſus intentus omni modo plebis animum accendebat. In his rerum anguſtiis magnum & ſapientem virum illum fuiſſe judico, cum inter abjectionem animi conſtantiam magnitudinemque, inter ambitionem temperantiam, & inter ſaevitiam moderationem prae ſe tuliſſet. Dum Picininius multitudinem, quam ſecum duxerat, crebris excurſionibus & oppidorum vaſtatione locupletabat, & Aretinis, quorum in agrum venerat, terrorem inferebat, juſſus eſt a Mediolani Duce in Ciſalpinam Galliam redire, ut ditionem ſuam a Venetorum armis defenderet. Facile enim fuit Florentinis his ſuadere, pro veteri odio quod habebant in Genuenſes & in Philippum Ducem, ut terra marique bellum pararent, dum ipſi interea, indignante licet Fortebraccio, magna mercede ad ſe ſe vocatis Nicolao Tolentinate, & Michaelotto Attendolo Cutiniolenſi, quorum nobile erat nomen, et laus rei militaris maxima, ad exercitus vires augendas omnem curam intendebant. Vario marte pugnatum eſt tum in Ciſalpina Gallia, tum in Etruria (24), tum in Tyrrheno mari; & inſignis fuit virtus, quod fortaſſe miraberis (nam Florentini magis ingenii acumine ſolertiaque, quam militari virtute celebrabantur) Ramundi Mannellii in pugna navali, quam prope Portum Delphini conſeruerunt Florentinorum & Venetorum naves cum Genuenſium claſſe. Profecto ſi victoria ii uti ſciviſſent (25), magna rerum facta fuiſſet converſio in univerſa ditio-

ne

ne Genuenſium. Sed hoc decebat magis Florentinos, & conveniebat magnis ſumptibus, quos fecerant, & motibus, quos excitaverant, ut quoniam ab Etruria diſceſſerat victrix illa manus Picininia, inceptum conatumque Lucae ſubjiciendae ad exitum perducerent. Verum dum tempus teritur excurſionibus & latrociniis, & diſceſſu Fortebraccii (26) exercitus vires infirmantur, de pace agi coeptum eſt per Summum Pontificem Eugenium iv. qui Martino v. an. mccccxxxi. ſucceſſerat. Hac eadem de cauſſa Martinus ipſe, paullo ante quam moreretur, illum prudentiſſimum pacificatorem Nicolaum Albergatum Cardinalem, legatum ad Florentinos miſerat; ſed quia non ignorabant hi non amico in ſe eſſe animo Pontificem, & quia ad gloriam Reipublicae pertinere arbitrabantur vindicare hoſtium conatus, ea reſponderunt, quae non magnam ſpem concordiae afferebant (27). Submiſſius ſe ſe geſſerunt cum Eugenio, quem multis nominibus ſibi amicum & benevolum fore confidebant. Itaque & legatos ad eum miſere, & quae ipſe hortabatur pronis auribus auſcultarunt.

Sed non mediocre ſtudium, quod Pontifex aperte ſignificabat erga Mediceos, Florentinos et Venetos ſuos (nam ipſe familia Condulmeriorum, non illa patricia, ſed tamen honeſtiſſima Venetiis natus erat) magis ab his avertit Senenſes ceteroſque; quibus prohibere Lucenſes a periculo cura erat. Remoratus eſt etiam ſpes

Florentinorum Sigismundi Caesaris in Italiam adventus, qui idcirco ſe veniſſe dicebat, ut Romae coronam a Summo Pontifice acciperet, utque pacem Italiae redderet. At ſuſpicioni maleficii materiem dabant legati ad eum missi ab Mediolanenſium Duce, atque odium, quod habere videbatur in omnes eos, qui illi inimici infenſique essent. Acriter ab eo reprehenſi Florentini per litteras Lucae id. Junii an. MCCCCXXXII. datas, quod injustum bellum ſuſcepiſſent, neque ad ſe legatos miſiſſent, uſi ſunt excuſatione temporis & necessitatis (28) exacueruntque ſtilum ad exagitandum infidum Mediolani Ducis ingenium, quod per eum nihil earum rerum ratum fuisset, quae conſtitutae fuerant, quando pax Ferrariae convenit, quodque hoſtiliter ſemper ſe gesserit in Rempublicam, usque eo, ut hujus ad Sabaudiae Ducem Legatum (erat hic Pallas Stroctius) quod nomen apud omnes vel barbaras nationes ſanctum inviolatumque ſemper fuiſſet, retinere & in vincula conjicere non dubitaverit. Litteras etiam dederunt ad Romani Imperii Electores (29), ut ſe excuſarent in eo, in quo accusabantur a Caesare, non quod hunc pecuniae omnisque rei egentem admodum timerent, ſed quia verebantur, ne injuria fieret Florentinis, qui mercaturam faciebant in Pannonia aliisque Germaniae regnis. Eodem tempore hortati ſunt Pontificem, videret ne quid Caeſar Romae turbaret ſuo & Baſileenſis Concilii nomine, cujus artes & machinationes cum ipſi Pontifici in pri-

mis, tum bonis omnibus ſuſpectae eſſe debebant (30). Ceterum Florentinis facile fuit Caeſari, Pontifici ceteriſque ad pacem hortantibus probare, ſe ab hac minime abhorrere, cum hujus rei cauſſa Ferrariam, quae urbs veluti quoddam pacis templum facta eſſe videbatur, ineunte vere anni MCCCCXXXII. Coſmum atque Pallantem Stroctium miſiſſent (31). Pax tamen non convenit niſi exeunte Aprili inſequentis anni, ea inter ceteras conditione, ut Florentini et Lucenſes ea omnia recuperarent, quae tempore belli amiſerant. Haec res maxima laetitia affecit populum Florentinum, quod tandem a continuis bellis conquieverit, per quae multum infirmata ac diminuta eſſe videbatur Mediolanenſium Ducis potentia.

Reconciliata pace, quod plurimum in civitate poterat Coſmus, auctor fuit ut leges ferrentur ſalutares ad coercendam voluptatem, & feminarum luxum, ne quid a faciendis nuptiis cives abduceret, & ad continendam Hebraeorum avaritiam (ſtatutum enim eſt quantum foenoris capere poſſent) qui ſaepe Florentia expulſi, poſtremo an. MCCCCXXX. propter peſtilentiam revocati fuerant. Cautum etiam ne ſerperet ſuperſtitio, quae religionem imitatur (32). Quanquam praeteriti belli ſumptibus, propter quos, querente licet Romano Pontifice (33), ne immunia quidem fuerunt clericorum bona, magnis in anguſtiis eſſet publicum aerarium, ea tamen erat fortuna Reipublicae, ut faci-

D 2

le priſtinum robur recuperaret. Florebat ipſa mercatura (34), & illa praeſertim quaeſtuoſiſſima permutandi pecunias, cum Florentini menſas haberent in praecipuis Europae urbibus, & incredibili eſſent ſolertia ad omnem mercedem & lucrum; mercabantur ab exteris quod ſtatim venderent; tota Europa ſpargebant opera tum lanea tum ſerica, quae ſingulari artificio texebant, ornabantque argento & auro, quorum nendorum artem non multo ante aut per ſe repererant, aut ab aliis didicerant eorum cives Georgius Nicolai Dantis, & Thomas Dominici Borghinii FF.; ex vinis, quae vetuſtatem & navigationem ferebant, aliiſque terrae fructibus non parum lucri faciebant; devehebant ad nundinas & praeſertim ad illas Belgicas tum ſuas tum aliorum merces, & ex ultimis terris, & ex omnibus provinciis exportabant ea, quae eſſent aut ad uſum meliora, aut ad ſpeciem pulcriora, aut ad luxum ornatiora; quae dum faciebant nullo neque periculo, neque incommodo deterreri videbantur, quo ſe et patriam ditarent. Luxuria & ignavia, peſſumae artes iis, qui eas coluere, quaeque plurimis imperiis ruinam attulerunt, minime officiebant Reipublicae: ii enim erant mores Florentinorum vel ditiſſimorum, quod me de Coſmo praeſertim praedicare judicabis, ut in re domeſtica continentiae & moderationis, in publica dignitatis laudem quaererent. Illi ipſi ſumptus, qui in adminiſtratione Reipublicae fiebant, erant moderati,

ut cernerent omnes civitatis dignitatem et decus ſervari, pompae & vanitati nihil tribui (35). Merito etiam hac ipſa de cauſſa celebrabantur Florentini, quod adeo florerent apud eos artes illae, quae ad graphicen pertinent, & praeſertim pictura, ſculptura atque architectura, ut has tanquam a magiſtris ceteri ab illis diſcerent. Cui enim incognita ſunt nomina Dellii, Robbiae, Ghiberti, Maſolinii, Maſaccii, Donati ſeu Donatellii, Bruneleſchii, Michelotii, Joannis Faeſulani, &, ut de multis aliis ſileam, Albertii, qui non praeclari artifices modo, ſed & nobiliſſimarum artium aut inventores, aut reſtitutores, aut perfectores putantur? Nec minus ſtudia & artes illae colebantur, in quibus non tam libera quaedam animi delectatio, quam utilitas quaeritur neceſſaria. Itaque magna mercede Florentini ad ſe vocabant eos, qui in medicina & juris prudentia excellere putabantur, nec facile illos ab ſe ſe diſcedere patiebantur, cui rei argumento eſſe poſſunt, quae de Panormita Venetis et Bononienſibus (36), de Sermoneta Senenſibus (37) reſponderunt; & ſi ex urbe egredi & in exilium proficiſci juſſerunt Franciſcum Philelphum Tolentinatem, cui publice Dantem interpretanti maximos honores atque beneficia contulerant, fuit haec juſtiſſima poena illius turbulenti, iracundi & ad omnem ſermonem liberi ingenii (38). Praeeunte omnibus exemplo ſuo Coſmo, comparabantur, exſcribebantur rari et pretioſi codices, hu-

Digitized by Google

jusque rei cauſſa longae ſuſcipiebantur peregrinationes, multi excitabantur ad ſcribendam hiſtoriam, ad colendas poeſin, eloquentiam ceteraſque humaniores litteras, neque Italicas modo, ſed & Latinas ac Graecas; & cum ante alios omnes florerent Leonardus Brunius, Carolus Marſuppinius Aretini, Ambroſius Traverſarius Camaldulenſis monachus in Aemilia natus, Poggius Bracciolinius e Terranova, Nicolaus Niccolus Florentinus, hi omnes nullo non honore, qui ſolus alit artes (omnes enim gloria incenduntur ad ſtudia, jacentque ea ſemper, quae apud quoſque improbantur) afficiebantur, praedicatore maxime ac teſte Coſmo, in cujus amore ac ſtudio conquieſcebant. His de cauſſis multi Florentiam (tum enim ſilebat Gymnaſium Piſanum, cum crudeliter nimis de florentiſſimae urbis exitio atque interitu cogitaſſent Florentini) tanquam ad mercaturam bonarum artium confluebant; in qua tot ornamenta in ingenio & induſtria poſita lucebant adeo, ut nulla Italicarum urbium cum illa aequari poſſet. Si quid improbandum erat in tot viris ingenio & doctrina praeſtantibus, illud erat unum, quod non effugiebant crimen invidiae & obtrectationis, quibus vitiis cumulata eſſe videbatur illa eruditiſſima & florentiſſima natio.

Senſit id Coſmus, qui, etſi univerſa Reſpublica pluris illi ſemper fuerit quam Vexilliferatus ceteraque liberae civitatis munia, & majore ſemper cura illam

adminiſtraverit, quam haec petierit, & virtute, liberalitate atque innocentia infinitas ſuas tutari divitias ſtuduerit, & benefacta ſua pluribus proceſſerint, non effugit tamen ſuorum malevolentiam, cujus acriores morſus ipſa pax, qua civitas fruebatur, efficiebat. Tempore etiam belli Nicolaus Barbadorius egerat cum Nicolao Uzzanio de pellendo ex urbe Coſmo, quod unum ad libertatem tuendam, ad concordiam civitatis, jugendoſque Patribus plebis animos maxime conducere ajebat. Multis precibus rogavit eum, ut conſenſu bonorum, qui libertatem civium in ſuam hominem ambitioſum convertiſſe ſervitutem conquerebantur, vinci ſe pateretur, remque auctoritate ſua, qua certe maxime pollebat, ut nemo ei par poneretur, aut perficeret, aut ſaltem adjuvaret. Quanquam Uzzanius eſſet mirificus nobilitatis fautor, ac propterea Mediceis infenſus, quia tamen valebat ſapientia ac prudentia, ea attulit, quae dehortabantur Barbadorium a ſuſcepto conſilio, quod non ſolum periculoſum, ſed etiam ſtultum propter civitatis mores, Reipublicae ſtatum, & copiam eorum, qui Mediceis favebant, eſſe dicebat. Contulit etiam inter ſe mores & facta Coſmi & Rainaldi Albitii, a quo minime dubitabat tantam invidiae flammam praeſertim accendi, ut probaret multo majora ab hoc mala timenda, cujus audacia, atque ambitio non ſolum argumentis, ſed etiam certis teſtibus tenebatur, quam ab illo, qui ad ſummam

amplitudinem pervenerat beneficentia atque liberalitate; tanta vis eſt probitatis & virtutis, ut eam etiam in inimico diligamus. Haec atque alia hujusmodi valuerunt ad frenandum Barbadorii furorem, neque multo poſt Uzzanius, vir ſane plenus fidei & conſilii & caritatis in patriam, ex hac vita migravit. Sed compreſſum odium, & vis improborum in Coſmum magis erupit, cum, ſublato e vita Uzzanio, Albitius Reipublicae adminiſtrandae principatum obtinere ſe poſſe ſperavit, & cum creati ii magiſtratus fuerunt, qui Mediceis inimici eſſe putabantur. Praeerat omnibus dignitate Bernardus Guadagnius, cum quo, vel antequam Vexillifer declararetur, ſaepe queſtus fuerat Albitius de injuriis, quae per Coſmum, ejuſque amiciſſimos conſiliarios Averardum Mediceum & Puccium Puccium, viros, ut ipſe ajebat, verſutos, fallaces, depeculatores, & ad omne facinus paratiſſimos, primariis civibus inferebantur. Hic igitur & ſua ſponte motus, & lingua Albitii, quaſi flabello ſeditionis, ventilatus, ubi ſummum honoris gradum adeptus eſt, non dubitavit publicam cauſſam ſuſcipere, & cunctantibus collegis, adverſus Coſmi aliorumque Mediceorum potentiam de ſumma Reipublicae referre. Cum autem aliis criminibus, tum maxime Lucenſi bello, cujus fuerat ſuaſor, & propter quod Reſpublica Florentina inſignes calamitates & clades perpeſſa fuerat, in odium offenſionemque vocabatur. Is itaque eo tempore, quo de-

declinandae, aut ſaltem levandae invidiae cauſſa rus conceſſerat, in judicium venire jubetur. Quanquam ſuaderent amici & propinqui ne pareret, ipſe tamen recte factorum conſcientia fretus, judicium ſubire minime recuſavit. Cum igitur in Curiam veniſſet, ſecum nihil afferens niſi animi coſtantiam et fortitudinem, in carcerem arctiſſimum contruditur. Quod ubi auditum eſt, plebs atque neceſſarii Coſmi aeſtuare, plures ex vicino apennino ad vim faciendam parati in urbem introire, & ille praeſtantiſſimus belli dux Nicolaus Tolentinas, qui ſtativa in Etruria habebat, appropinquare cum ſua manu Florentiam, ut opem amico ferret, & tantam invidiae flammam ab ipſo averteret. Qui Coſmi vitae nullum conſlari periculum volebant, vi minime rem gerendam putarunt, confidentes haud paſſuros Patres, quem virtutis gloria ad caelum extulerat, eumdem inimicorum perfidia oppreſſum ad ſupplicium rapi. Porro Novemviri ſibi maxime invidioſum fore cenſentes, ſi tantus civis, paucorum ſolum ſuſpicione reus factus, nec publico judicio damnatus interiret, mandant Friderico Malavolto homini fide & nobilitate ſpectatiſſimo, ut ejus corpus & carcerem cuſtodiat. Tentatus hic quidem fuit, ut ipſe aut mortem pararet Coſmo, aut ab aliis parari ſineret, ſed nihil unquam generoſo & fideli homine indignum ſe facturum conſtanter reſpondit. Quod illam Coſmus ſibi, tanquam Tantalo ſaxum, impende-

Digitized by Google

re arbitrabatur, ſuum malum gemebat, & innocentiam ſuam ſuperis commendabat. Ab omni etiam ferme cibo totum quatriduum abſtinuit, timens ne in eo lateret venenum. Tum Malavoltus cohortatus eſt eum, ut bono animo eſſe vellet, cum & in Curia, & in urbe amiciſſimi cives, quibus illius ſalus cordi foret, minime deeſſent. Ut vero omnem veneni ſuſpicionem tolleret, cum eo ſe coenare velle dixit, quod & fecit, delibatis ſingulis dapibus, & convivium hilarante homine faceto & dicaci cognomento Farganaccio, qui ſe ipſum ad coenam invitaverat. Quod hic erat Vexillifero familiaris, cum eo colloqui ſecreto concupivit Coſmus, idque facile a Malavolto impetravit. Vehementer etiam atque etiam ipſum rogavit, ut ſalutem ſuam Guadagnio commendaret, addiditque precibus promiſſa & dona, cum ei ſyngraphum dediſſet, quo jubebatur Praefectus Xenodochii S. Mariae Novae centum ſupra mille florenos eidem de ſua pecunia ſolvere. Poſtridie ſcurra Guadagnio mille florenos detulit, reſervavitque ſibi, ut juſſerat Coſmus, centum, quod munus ſane plus valuit ad placandum Vexilliferi animum, qui ſaepe pecunia egebat, quaque corruptus ab inimicis Coſmi antea ſe ſe & dignitatem ſuam venalem habuerat, quam ipſa bonitas aequitaſque cauſſae (39).

Interea Albitius multitudinem hominum cogit atque ſecreto armat, & liberae jam voces multorum in foro audiebantur, qui ſevere vindicandum in homi-

nem contendebant, quo ſuperſtite tyrannidem exiſtere neceſſe erat. Facile fuit hos compeſcere, propoſitumque per Novemviros, uti nova, ſicuti loquebantur, crearetur *Balia* ad anni uſque exitum duratura, quae ducentis & amplius civibus conſtaret, cujuſque eadem poteſtas esset in adminiſtratione Reipublicae, ac univerſi populi Florentini. Hac creata, dictae a nonnullis graviſſimae de Cosmo fuerunt ſententiae, ſed Vexillifer vota caput illius depoſcentium, magnamque judicii exſpectationem ad ſuum arbitrium eluſit, decretumque ut ille in exilium Patavium proficiſceretur (40). Eductus e cuſtodia Coſmus, in qua ſeptem & viginti dies fuit, quia non ignorabat tumultuari adverſae factionis principes, & graviter de lata ſententia queri, ad conciliandos ſibi Patrum animos hanc orationem habuiſſe dicitur. *Si ſpes ulla oſtenderetur fore ut calamitate mea jungerentur plebis & optimatum animi, non exilium ſolum, ſed & ipſa mors gratiſſima & optatiſſima mihi eſſet, quod haec naturae debita, ſi reddatur pro patria, laudem pariat immortalem. Verum, proh dolor! adeo degeneravimus a majoribus noſtris, qui parvo contenti liberae civitatis munia locupletibus cum plebe communia eſſe voluerunt, ut in quibusdam neque potentiae modus ſit, neque reliquarum cupiditatum, quas nullus honor, nulla fortuna vel improbe parta minuit, ſed anget potius atque inflammat. Quod his obviam iverim, & populi jura defenderim, non crimini, ſed laudi*

dandum mihi eſſe arbitror. Verum quia voluntate veſtra, Patres ampliſſimi, cogor exulare a patria, quae mihi vita ſemper carior extitit, & cui me totum tradideram, nolo quis veſtrum mei miſereatur ſed temporis: vel si intra barbaras nationes, omni ſpe reditus adempta, amandarer, ibi & patriam mihi eſſe judicarem, quod nunquam deponerem priſtinum ſtudium vobis gratificandi, & bene de meis civibus merendi. At quia non magis pietas, quam bona exiſtimatio mihi cordi eſſe debet, nolite, quaeſo, pati ut mihi vis inferatur ab iis, qui forum complent, & obsident Curiam armati, quique niſi meo ſanguine placari non poſſe videntur. Si per eos mortem occumberem, multi ſane exiſtimare poſſent, me vitam nefario aliquo ſcelere foedaſſe, etſi mihi nullius culpae conſcius ſim. Vos etiam omnium meorum in Rempublicam ſtudiorum & officiorum teſtes eſſe poteſtis, nec vos modo, ſed & ipſum Deum Optimum Maximum teſtem appello, quod neminem bene de Republica ſentientem laeſerim, quod nihil unquam oneris recuſaverim (si onus eſt id appellandum, quod cum laetitia feras ac voluptate) ut commodis utilitatique patriae ſervirem, quod neminem ab illius ſtudio & caritate abduxerim, multos illi e contrario conciliaverim, & vel oppida in publici aerarii anguſtia mea pecunia illius ditioni adjunxerim. Si igitur nullum factum dictumque meum contra utilitatem communem (etsi quaedam contra voluntatem nonnullorum fuerint, nec ſemper bene coeptis faverit fortuna) vere re-

Digitized by Google

ferri poteſt, cur insimulabor majora me concupiviſſe, quam privatum civem deceat? Quis veſtrum ignorat me nunquam in Curiam niſi accitum veniſſe, nunquam petiiſſe honores, ac ſponte delatos sic accepiſſe, ut non inutilis eſſe judicarer, ſtuduerimque ſemper civium animos ſociare non divellere, atque omnes aequitate eadem continere? Quid multis? Omnia mihi laeta fuerunt, quae a vobis in me profecta ſunt beneficia, & quantum meae vires tulerunt, iis ut reſponderem laboravi; ipſumque exilium, quod multis calamitoſum videbitur, in benefactorum numero reponam, quod per illud pejora mala ab hominibus teterrimis mihi parata vitaverim, & quod ſperem illud mihi, ut & aliis multis praeclaris civibus, gloriae fore. Reliquum eſt, ut Deum immortalem precer, ut vos incolumes, Rempublicam florentem ſervet, meque, qui communem cauſſam, populi jus, vitam meam omneſque meas fortunas in veſtra fide ac religione depono, fortem & coſtantem in optima ratione vitae ſemper eſſe velit. Dum haec diceret Cosmus, eminebat in eo patrius amor, ſeque ipſum ſolabatur, cum conſcientia bonae mentis, tum lacrimis ejus vicem dolentium. Noctu exeunti e Curia ſtipatores ex praetoria cohorte dati ſunt, qui eum adverſus inimicorum gladios protegerent, inviolatumque ad Etruriae uſque fines deducerent. Exilii poena una cum Coſmo mulctati fuerunt ejus frater Laurentius, Averardus Mediceus, Puccius & Joannes Puccii, qui, ſi poſtremum excipias,

omnium ejus conſiliorum participes eſſe ſolebant, aliique plures e Mediceorum praeſertim familia. Non idem tamen exilii locus, neque idem exulandi tempus omnibus praeſcriptum, neque una de Coſmo lata ſententia fuit; qui quidem primo per annum, mox per quinquennium, poſtremo per decennium Patavii exulare juſſus eſt. Decretum etiam ut Medicei omnes, filiis tantummodo Veri exceptis, inter magnates perpetuo haberentur, quo decreto ab omnibus publicis officiis & muneribus excludebantur: nam ad haec tantummodo admittebantur cives, qui in artium collegia eſſent relati, quae viginti & unius numerum explebant, ex quibus ſeptem, quod liberaliores erant, majores artes placuit appellari.

Diſceſſu Coſmi, qui accidit v. non. Octobris an. MCCCCXXXIII. & qui victi fuerant, & qui viciſſe putabantur, magno in timore eſſe coeperunt. Illi tegebant dolorem, quem & necquicquam, & non ſine periculo oſtendiſſent; hi irati increpabant Patres, quod ſiverint ſe ad lenitatem & miſericordiam adduci, quando res ipſa ſeveritatem flagitabat. Albitius praeter ceteros denuntiabat populo Florentino ſervitutem, ſibi ſuiſque pericula & mala, quod e vivis minime ſublatus fuiſſet Coſmus: ajebat ſatius fuiſſe rem non inchoare, quam inchoatam ad exitum minime perducere, cum in judiciis de majeſtate quidquid remiſſum eſt, id omne in Reipublicae perniciem verti ne-

eſſe ſit, nec videri eos damnari, qui cum capite plectendi ſint, exilio mulctentur, ſed provocari potius, cum in iis injuriae memoria animi vim atque iracundiam, & domeſticae copiae vires ad injuriam perſequendam, conſilium magnitudo ingenii ſuppeditare videatur: hoc unum ſe his periculis remedium arbitrari, mutationem ſtatus civitatis, ſic ut nemo amplius ſtudio & ſuffragio plebis, quae omnia venalia habere ſolet, viam ſibi ad obtinendum principatum munire poſſet. Tum quo quiſque aſperius in Coſmum locutus eſſet, eo ſpes gratiae major erat, & donati praemiis omnes ii fuerunt, qui illius pellendi e patria ſuaſores auctoreſque fuerant. Ceteros inter Vexillifer Praefectura Piſarum auctus fuit, & quod ipſe aliquando, ejus fratrumque filii, quia debitam propter tributa Reipublicae pecuniam ad diem non ſolviſſent, inter aerarios relati, privatique propterea fuerant jure ferendi ſuffragia, gerendique magiſtratus, quod cerni in ſpeculo dicebatur, ut hac nota liberarentur decretum fuit. Viſum eſt etiam ad praeſentem rem pertinere, ut augeretur poteſtas illius magiſtratus, quem vindicem criminum majores noſtri eſſe voluerant. Sic enim facilius ii contineri poſſe putabantur, qui Coſmo favebant.

Hic, qui maximo ſemper animo fuerat in proſpera fortuna, non minori fuit, quod difficilius eſt, in adverſa. Suadentibus ut ex itinere in patriam rediret,

hoc boni civis reſpuere fidem reſpondit, cui Magiſtratuum juſſa aeque ſacra ac Dei eſſe debebant, vimque armorum ad ulciſcendos externos hoſtes reſervandam. Ipſo in itinere vidit multorum in ſe ſtudia atque officia, ut haec calamitatem ſuam non modo levarent, ſed etiam honeſtarent. Ferrariae Marchio Nicolaus Ateſtinus, qui ut in cuſtodiam Coſmum traditum fuiſſe audiverat, deprecatores ejus ſalutis Florentiam miſerat, tranſeunti per Mutinam urbem aliaque ditionis ſuae loca ſingulares haberi honores juſſit. Veneti vero, qui eadem de cauſſa, tribus primariis civibus ad Florentinos legatis, mirifici fuerant ejus dignitatis defenſores, non ſecus ac ſi ejuſdem calamitas ad decus Reipublicae pertineret, tanto ſtudio, amore, animo ingredientem eorum urbem proſecuti ſunt, ut is non exul, ſed de inimicis nobilem triumphum agens ad eos veniſſe videretur. Cum Senatoribus, qui obviam illi processere, erat Laurentius Mediceus, qui paullo ante Venetias exulatum venerat. Poſtridie Coſmus Ducem, ceteroſque, qui primi erant in adminiſtratione Reipublicae, adiit, omnibusque gratias egit, quod eorum ſtudio atque auctoritate, dum vi, ferro, metu, minis obſeſſus tenebatur, ex capitis periculo ereptus fuerit. Quod vero hoc beneficium ſingularibus honoribus cumulaverint, tanti id ſe putare affirmavit, ut nihil glorioſius haberet, quod poſteris relinqueret, omniſque aetas ſibi futura eſſet ad eorum er-

ga

ga ſe divina merita praedicanda atque recolenda. Biduum Venetiis fuit, quod venerat tempus, quo eſſe Patavii jubebatur (41). Comitem itineris habuit primaria nobilitate hominem Jacobum Donatum, a quo magnificentiſſimo hospitio acceptus fuit. Decreverant enim Veneti, ut in illa urbe non tanquam peregrinus & exul, sed tanquam civis, & patriae ſuae legatus ampliſſimus haberetur. Nec minori voluntate ac ſtudio ii ſe ſe gesserunt in Laurentium, ut patroni ac tutores vitae, fortunae, memoriae, nominis Mediceorum conſtituti esse viderentur. Ipsorum etiam auctoritate, cum hac de caussa legatum Florentiam miſisſent Andream Donatum, obtentum est, ut Cosmus ubi vellet commoraretur, dum non egrederetur e Venetae ditionis finibus, & ab urbe Florentia centum & ſeptuaginta millibus passuum abeſſet. Itaque, exeunte an. MCCCCXXXIII. ſedem ſuam Venetiis collocavit, qua in urbe ita ſe vivere ajebat, ut patriam minime requireret. Venit ad eum aliquando, dum familiae ſuae praefecturam gerebat, vir ille ſummus & ſingularis Ambroſius Camaldulenſis, qui obſtupuit adeo ob beneficia & honores, qui impertiebantur Mediceis Fratribus, ut quas de iis ad communes amicos dedit litterae, plenae eſſent laetitia, gratulatione et praeconiis Venetorum, qui dum malum eorum gemebant, & iratorum hominum, non conſtantis Senatus judicium aperte deteſtabantur, ad dignitatem ſuam pertinere judicarunt, ut iidem

a ſe ſe non modo perliberaliter, ſed etiam ornate cumulateque tractarentur (42).

Etſi cavebat Cosmus, ne extra modum lautus & ſumptuoſus appareret, quia tamen illum quidquid excelſum & magnificum erat delectabat, ut Venetiis monumentum aliquod exiſteret grati animi ſui, liberalitatis & amoris in litteras, ſuis ſumptibus bibliothecam Benedictinorum, qui incolunt monaſterium ad S. Georgii, uſus Michelottio architecto, aedificandam curavit (43). Excipiebat ſatis ſplendide qui domum ſuam ventitabant, & multi ſane fuerunt, qui ex vicinis urbibus Venetias profecti ſunt, ut magnum virum fluctibus Reipublicae excluſum in alienis terris jacentem videre & ſolari possent. Et ſi vir ampliſſimus, cui nihil erat quod roganti concedi non debere videretur, pro aliquo ſupplicavit, fuit ſemper ejus rogatio gratioſa; ſed videbat ad vitandum vitium arrogantiae, ne tam gratia, quam caussa rogandi valeret, quapropter, dum multi ejus officiis & miſericordia laetati ſunt, nemo injuria doluit. Hae artes, & frequens commemoratio beneficiorum, ac declaratio amoris erga parentes & cuſtodes ſuos, & ſenſus illius de Republica, de qua ſaepe conſultus fuit propter conjunctionem, quae jamdiu erat Venetis cum Florentinis, mirifice omnium ordinum animos in ipſum confirmarunt. Sed tanta honoris aura minime quidpiam imminuit de caritate patriae (44). Extant enim litterae eorum, qui gubernacula Reipublicae tra-

Digitized by Google

ctabant, ex quibus conjici poteſt illos doctos fuisse a Coſmo de iis rebus, quas ſcire maxime intererat (45) & gratiſſima iisdem fuiſſe amantissimi civis officia. Quamobrem vel ii, qui exiſtimabant illum vel debilitata virtute, vel fracto animo esse propter calamitatis magnitudinem, ſe vehementer errare intellexerunt. Tum Coſmus ſperare coepit fore, ut in ſe mutarentur nonnullorum voluntates, nec deerant ſane amici, qui allicere alienas, retinere partas, placare turbatas magnopere laborabant. Fuit & in illorum numero magnus ille juriſconſultus Antonius Minuccius e Prato Veteri, qui quod multa audacter fecerit, ut Coſmus redderetur patriae & ſuis, ampla domo, pecunia, aliisque praemiis ab ipſo donatus fuit. Jam populus minime obſcure Coſmi deſiderium oſtendebat, ac palam multi dictitabant actum fore de Republica, ſi ii, qui in illa verſati erant utiliter, & quorum exiſtimatio gravis habebatur, improborum irae atque libidini devoverentur. At qui illi ex animo erant amici ad utilitatem ipſius pertinere arbitrabantur, in tanto impetu ſtudiorum & motu temeritatis modum, conſilium & rationem adhibere, ne qui aliena peccata ſe punituros profitebantur, facile ipſis peccare liceret. His de rebus omnibus diligentissime Coſmum certiorem faciebat Angelus Acciajolius, qui veteres cum Mediceis fratribus inimicitias, multis, ac praeſertim Franciſco Barbaro & Minuccio inſtigantibus, plane donaverat Reipublicae (46), cum

qua illorum rem & cauſsam conjunctam esse intelligebat. Is, ut quod nuntiabat amicis laetius esset, affirmabat illos brevi ad ſuos redituros, ſi Nereum Capponium ſibi conciliaſſent, & bellum aliquod commoveretur, unde ipſis patriae et conſilio & pecunia, ſicuti antea fecerant, juvandae ſacultas daretur. Interceptis litteris, non defuit caussa ſeveri exercendi judicii, quo decem annorum exilio Acciajolius ſumma in familia natus, & animi ſatis magni & conſilii damnatus est. Saevitum etiam est eadem de caussa in ignobilem quemdam artificem, nomine Silvestrum, qui, quod periculo ſuo juviſſet Coſmum, elatus postea ad nobilitatem & gloriam fuit.

Interea tempus ab studioſis Coſmi exſpectabatur, dum Reipublicae clavum tenerent homines aequi & in ejus partem propenſi. Id evenit KAL. Septembris an. MCCCCXXXIV., quo die renunciatus fuit Vexillifer Justitiae Nicolaus Cocchius, Priores vero (ſic enim vocabantur, qui ſecundum post illum locum tenebant) Joannes Capponius, Lucas Pittius, Petrus Dinius, Fabianus Martinius, Simeon Guicciardinius, Thomas Redditius, Balthaſar Chiaruccius, ac Nereus Bartolinius. Hi, quorum pleriquē de turbato per optimates civitatis statu antea aperte questi fuerant, ut magistratum iniere, tantum animi addidere Cosmianis, ut hi non ſolum libere, ſed etiam ferociter de adverſariis loquerentur. Tum Albizius diffidere rebus ſuis coepit, neque erat dubium quin

is, qui ſuperbum ſe praebuerat in fortuna, huic ipſi tandem cedere ac ſuccumbere deberet. Sed quia illum nunquam deſeruit audacia, ad eſtrema deſcendere minime dubitavit. Cogit armatos, laudat promptos, dubios confirmat, ſegniores caſtigat atque incitat. Completur forum S. Apollinaris tumultuantibus, qui non ſolum Albitium amentiae ducem habebant, ſed etiam Rodulphum Peruzzium atque Nicolaum Barbadorium. Multum confidebat Albitius Joanni Guicciardinio & Pallanti Stroctio, ſed ille domi ſe continuit, hic cum duobus tantummodo famulis, nec equo vectus, nec armis tectus in forum venit. Eorum vocibus & concurſu perterriti Novemviri vocant ad ſe ſe primarios quoſdam viros, qui quo minus cupiditatis & ſtudii habere videbantur, eo plus auctoritatis habebant. Hi quidem nihil non egerunt, ut rem ad otium deducerent; hortantur Albitium ceteroſque illius factionis, ut ab armis diſcedant, de revocando ab exilio Coſmo nihil actum affirmant, ſeque Reipublicae non defuturos pollicentur. Superbe ad illa reſpondit Albitius; ſi qui Coſmum reſpicerent, & ejus gratiam ſequerentur, ut ſuperioribus fecerant temporibus, neque omnis iis, qui tum Rempublicam adminiſtrabant, abrogaretur poteſtas, ſe profecto ſibi ſuiſque conſulturum. Quando hac tempeſtate jactabatur civitas, commorabatur in ea ſummus Pontifex Eugenius IV. qui praeſidio Florentinorum tectus, atque ab iis

liberaliſſime invitatus, paullo ante in Etruriam fugerat, ut pericula, quae ei a Romanis ipſis, a Nicolao Fortebraccio aliiſque adverſariis impendebant, vitaret (47). Suae hic dignitatis & paterni in Coſmum animi eſſe putavit, ſi ſe in iſtam pacificationem interponeret. Vocatis igitur ad ſe ſe Albitio aliiſque factionis principibus, per Joannem Vitelleſchium Recanati Epiſcopum, cui non tam Pontifex, quam Coſmus ipse plurimum tribuebat, eos amantiſſime adhortatus eſt, ne ſinerent patriam crudelibus lacerari diſcordiis & nullum publicum conſilium eſse, ſpoponditque perpetuam ſuam in libertate Reipublicae & illorum ſalute tuenda curam. Si qua fides eſset Philelpho (& nullam certe meretur in iis, quae de Coſmo affirmavit) tum Albitius eam orationem habuit apud Pontificem, qua nihil eloquentius, nihil accommodatius ad tempora, nihil opportunius ad patefacienda exagitandaque Mediceorum vitia ac crimina, & ex qua totum ferme ſecundum librum operis *de exilio*, de quo ſupra mentionem fecimus, ille compoſuit. Albitius quidem ſtuduit ab ſe ſe removere ſuſpicionem criminis, de quo haud injuria a Pontifice ipſo aliiſque multis accuſabatur, egisse ſe cum Inſubrium Duce, qui ſemper infidus & adversus Florentinis fuerat, de prodenda illi patria; & dum vim, potentiam, factiones, divitias, clientelas, affinitates Coſmianorum proferebat, adesse diem affirmabat, quo funditus univerſa Reſpublica eſ-

ſet evertenda. Quod multi ex Mucellano agro, ex alpibus, & ex Aemilia Florentiam convenerant armati, civitatem & Mediceos defendendi caussa, ut ii numerum fere trium millium explerent, minime auſi ſunt Albitius, ejus Filius Ormannus & Rodulphus Peruzzius egredi e coenobio Dominicanorum, quod S. Mariae Novellae dicitur, in quo habitabat Pontifex. Ceteri, qui illos comitati fuerant, nocte intempeſta, mutatiſque veſtibus, huc illuc aufugerunt, atque arma poſuerunt.

Haec prinſquam acciderent, Coſmus Venetiis Florentiam miſerat Antonium Martellium, qui non modo privatorum negotiorum, ſed etiam conſiliorum de Republica fidelissimus ſocius illi erat, ut exploraret Novemvirum animos, quos ſane in amicum propenſissimos invenit, quare illi ſignificavit, ut maturaret ab urbe proficiſci. Ita diſcessit a Venetis ſuis III. Kal. Octobris an. MCCCCXXXIV. una cum fratre Laurentio (non venit cum iis Averardus Mediceus, quia febri laborabat) ut omnes dicerent, illum unum esse dignum principatus in patria ſua, ſignificarentque ſe illi amicissimos fore. Poſtridie cum venisset Ferrariam, ita acceptus fuit, ut nemo honoratius, nemo prolixius. Nam Nicolaus Ateſtinus Marchio non modo omnem ſuam operam, ſed & milites ultro illi obtulit. Cum magno horum comitatu, ſumptus faciente itineris ipso Nicolao, per Mutinenſes montes ingreſsus eſt in Etruriam co-

dem poſt annum die, quo ab illa diſcedere coactus fuerat. Subſedit in Careggiano, ita jubentibus vel potius ſuadentibus Novemviris. Nam quamvis factum fuiſset decretum, cccl ferme civibus ſuffragia ferentibus, & praeſentibus Epiſcopis, qui in aula erant Pontificis, de illo in patriam & in priſtinam dignitatem reſtituendo, illudque honorificentiſſimis ſane verbis perſcriptum (48), non convenire tamen putabatur praeſentibus Reipublicae temporibus, ut magnus populi motus fieret, quod ſane eveniſſet, ſi quem tantopere deſideraverat ingredientem urbem vidiſſet. Quia tamen exſpectabatur, magna hominum multitudo compleverat vias, cujus declinandae gratia noctu & per devia in Curiam venit (49). Omnino illum ſic patria accepit, ut lucem ſalutemque redditam ſibi ac reſtitutam arbitraretur; & dum Coſmus gravi & eloquenti oratione magnitudinem beneficiorum, quae cives ſui in ſe, fratrem atque liberos ſuos contulerant, perſequebatur, ſeque ad Rempublicam bene gerendam incenſum ostendebat, tanta eluxit ſignificatio laetitiae & voluntatum omnium, ut non ſolum ei calamitatem detraxiſſe, ſed etiam dignitatem auxiſſe viderentur. Etſi homini nihil eſt magis optandum, quam proſpera, aequabilis, perpetuaque fortuna, ſecundo vitae ſine ulla offenſione curſu, tamen ſi Coſmo tranquilla omnia & pacata proceſiſſent, nunquam ad tantam amplitudinem perveniſſet, ut non ſolum ipſe perpetuo eſ-

ſet

ſet moderator & rector omnium de Republica conſiliorum, quaſi omnia unius viri arbitrio gererentur, ſed etiam ut poſteris ſuis viam ſterneret, qua ad civitatis imperium pervenire poſſent. Eſt quidem magnus in hoc hominum conſenſus, qui de rebus horum temporum ſcripſerunt, nulla unquam in civitate, quae amiſſa jura libertatis uni homini permiſiſſet, quemquam vi & armis, ſicuti Coſmum in ea, quae libera eſſet, & quae de libertate retinenda maxime laborabat, auctoritate gratiaque praeſtitiſſe. At ne quis eum inſimulare poſſet nimiam potentiam appetere, obſtabant ſumma hominis gravitas ac prudentia, & praeſertim ars moderate & ſcienter utendi fortunae bonis, potentium gratia, & amicorum ſtudiis, ut pari ac aequo jure cum ceteris frui, & communi conſenſu & conjuncta cura cum omnibus civibus incolumitati & incremento Reipublicae conſulere videretur.

Profecto magni interfuit ad ejus auctoritatem augendam confirmandamque poena, quae ſumpta eſt de iis, qui ad illius perniciem conſpiraverant. Vel antequam ipſe redderetur patriae, pulſi in exilium fuere Rainaldus Albitius, ejusque filius Ormannus, quem conſuetudo & diſciplina a paternis vitiis degenerare non ſiverat, Rodulphus Puccius cum liberis ejus & Donato fratre, Rainaldus Janfiliazzius, Rodulphus Peruzzius, Andreas Rondinellius, Petrus Ardinghellius, Zenobius Belfredellius, Matthaeus Benitius, Attavianus Pe-

pius, Guido Balduinettus, Nicolaus Barbadorius & ille Pallas Stroctius, qui inter ſuos excellebat ingenio & doctrina, & in litteratos homines ſtudio, quorum nonnullos ita alebat domi, ut non ſecus ac liberos diligere videretur. Ad illius calamitatem levandam (hominis dignitas & virtus facit, ut de eo pauca ſeparatim dicamus) non mediocriter conduxit bonitas & beneficentia Thomae Calandrinii Sergianenſis, qui ex inſtitutore filiornm ejusdem Cardinalis, neque multo poſt Pontifex Maximus Nicolai V. nomine creatus, tanta liberalitate ſe ſe geſſit in eos, quos erudiverat, ut plura a parente proficiſci minime potuerint. Omnino bonus vir & mitis ingenii erat Pallas, & quamvis nunquam in patriam, quam maximis ornamentis affecerat (50), redierit, per quinque & viginti annos (tot enim poſtea vixit) ejus commodis, quantum potuit, ſuaeque gloriae ſervivit (51). Eminuit & ejus patientia cum exilii nuntium accepit, diſſimilis hac quidem in re, ut & in aliis multis, Albitio, qui dira in Coſmum ejusque fautores evomuit, cum quibus ſibi vel abſenti perpetuum bellum fore palam ferebat. Jecit & voces ſtomachi & querelarum plenas in Pontificem, ſe ipſum acriter reprehendens, quod ejus promiſſis fidem habuiſſet. Poſt reditum in patriam Coſmi, exilii poena mulctati fuerunt alii cives, qui ſuſpicionibus novarum molitionum materiem dederant, unde propagatio multarum nobilium familiarum, quae longe lateque di-

ſperſae ſunt, quaeque ortu Florentinae dicuntur. Saevitum etiam tum esset in cervices nonnullorum, niſi pro iis interceſſiſſet Pontifex; & Cosmus ipſe gloriatur ſe ſe egiſſe, ne morte afficerentur Franciſcus Guadagnius aliique plures, qui tamen multorum maleficiorum judicio convicti, aeternis tenebris vinculiſque mandati fuerunt. Sed non propterea omnem a ſe ſe culpam amovit. Dediti enim poſtea ad ſupplicium fuerunt Antonius Guadagnius Filius Bernardi illius, cujus officia, quamvis pretio redempta, ſalutaria fuerant Coſmo, Antonius Pierozzius, Michael Joannis, Coſmus Barbadorius, & Zenobius Belfredellius, atque hi quatuor capti Venetiis ab illius civitatis Senatu, ad quem tanquam ad aram confugere ſe poſſe ſperaverant, irae Coſmi ſe ſe donatos fuiſſe haud injuria queſti ſunt. Horrere ſoleo dum reminiſcor tot aut nobilitate, aut geſtis magiſtratibus claros viros (non libuit omnes, quod longum & ingratum fuiſſet, nominare) unius hominis cauſſa, aut praeſenti morte, aut turpi exilio, aut foedo carcere, aut graviſſima mulcta, omnique privatione honorum & civilium jurium poenas dependiſſe Reipublicae, & iſtud tenebricoſum tempus vitae Coſmi latere vellem. Is quidem aliquid habuit excuſationis, non omnino juſtae, ſed quae probari poſſe videtur. Ajebat enim ſe nihil crudeliter commiſisse, dum ſummum dignitatis gradum tenuit, & quae ante & poſt id tempus cenſuerunt Ma-

giſtratus ſcelerum vindices, praeſentibus Reipublicae temporibus & concordiae conveniſſe. Profecto moderatio tuendae libertatis, dum aequari velle ſimulando ita ſe quiſque extollit, ut deprimat alium, in difficili eſt; cavendoque ne metuant, homines metuendos ultro ſe efficiunt, & injuriam a nobis repulſam, tanquam aut facere, aut pati neceſſe ſit, injungimus aliis. Verum ſive Coſmus ipſe, ſive ejus ſtudioſi exercuerint iracundiam in victos, quorum turbulenta & temeraria conſilia factaque patebant, nihil tyrannice actum ab homine arbitrabimur, qui nec poteſtate, quam ſummam habuit, neque legibus, neque divitiis, neque gratia, neque gloria unquam abuſus eſt, ut imperium exerceret in liberos cives. Si quis illa, quae ipſe ſecutus eſt, conabitur carpere, dicat eumdem nihil fortasse tale cogitantem, patriae ſuae ſervile jugum parasse, dum nimium familiae ſuae utilitati dignitatique, conſulens publicae, proſpexit; quanquam eo tempore, quo Medicei dominatum occuparunt Florentinorum, ii eſſent horum mores, iſque Reipublicae ſtatus, ut nec vitia, nec remedia pati amplius poſſe viderentur.

Hic publici conſilii dominus, quo reſtituto, ipſa civitas reſtituta eſſe videbatur, cum ineunte an. MCCCCXXXV. renuntiatus fuiſſet Vexillifer Juſtitiae, facile obtinuit, ut novum decem annorum foedus Venetos inter & Florentinos Summumque Pontificem

iniretur. Id quidem maxime conducere Reipublicae rationibus putavit, quae mala timebat a Mediolanenſium Duce, cum quo niſi infida pax eſſe poterat. Hic aegre ferens defeciſſe ab imperio ſuo Genuenſes, qui illius atrocitatem indignitatemque pati haud potuerant, cumque urbis recuperandae facultatem & ſpem amiſiſſet, ſtatuit omni vi vexare non populos modo, qui erant in ditione Genuenſium, ſed & eos, qui iisdem finitimi erant, eorumque libertati favebant. Inflammabant etiam ſuperbum & ambitioſum animum voces Rainaldi Albitii, qui cum illum conveniſſet, non deſtitit inſtare, ſuadere, orare, ut bellum inferret Florentinis, cum quibus ajebat nullam ſanctam eſſe poſſe ſocietatem, Coſmo, viro omnium teterrimo, Rempublicam adminiſtrante. Addebat etiam, ſi nulla eſſent civium odia in hunc, quae tamen maxima erant, facile opprimi civitatem poſſe, aut ſaltem cogi, ne opem & auxilium ferret Genuenſibus. Tum glorians ipſi Cosmo ſignificavit *gallinam incubare:* cui ille: *male id poſſe extra nidum*, quod ſalſum reſponſum omnium ſermone vulgatum laudatumque fuit. Huic vigilanti & multa in poſterum providenti opportuniſſimum viſum eſt, ſi Franciſcum Sfortiam rationibus Reipublicae magis atque magis adjunxiſſet. Hic non ſolum in Etruria natus ex concubina, quando ejus pater Mutius Attendolus, qui Sfortiae cognomen ex corporis vi, & animi audacia traxit, ſtipen-

dia Reipublicae merebatur, ſed etiam Florentiae altus atque educatus amabat Florentinos, charoſque habebat, eiſque ſaepe utilem operam praebuit. Nam fortis animus & magnus, & ſumma rei militaris ſcientia erat in eo. Tanti hominis virtus tum maxime neceſſaria eſſe putabatur, quia mortem non multo ante obierat perfidia Mediolanenſium Ducis, cujus in poteſtatem venerat, Nicolaus Tolentinas, qui quantus imperator, & quam firmus & fidelis amicus fuiſſet Florentinorum, declaratum eſt pompa funeris & monumento, quod in principe Aede faciendum ipſi curarunt (52). Pretio igitur & ſpe ſollicitarunt Sfortiam, ut & copias, quas ſecum habebat, & quae ſub Reipublicae ſignis militabant, duceret ad repellendos hoſtes (53). Ex his quidem nullus magis formidandus erat quam Nicolaus Picininius, cujus ſemper fuerat inſidioſa amicitia, & periculoſa iracundia. Hic ex Parmensi agro cum magna manu in Etruriam deſcendere juſſus ab Inſubrium Duce, non modo Sergiano, quae tum civitas in dominatu erat Thomae Fregoſii, ſed & aliis Florentinae ditionis oppidis, quae non longe a Macra erant, potitus eſt. Vim quoque ejus aut timuerunt, aut experta ſunt multa Piſani agri oppida, & univerſa fere Apuana Provincia, in qua Malaſpinae praeſertim dominabantur. Profecto ſingularis fuit virtus Sfortiae in ejus motibus conatibuſque prohibendis, quodque his favere videbantur Lucenſes, inde Coſmus oc-

Digitized by Google

caſionem arripuit eorum infidelitatem increpandi (54) novumque adverſus eoſdem bellum ſuadendi, in quo non de dignitate modo, ſed etiam de ſalute Reipublicae decerni affirmabat. Verum quia verebatur, ne cui obtrectatorum nimis pertinaciter Lucenſibus infenſus videretur, utebatur excuſatione periculorum, quae & Florentinis & univerſae Italiae a Picininio imminebant, ſic ut illi qui faveret, communis hoſtis eſſet habendus. Hac de cauſſa miſſi legati fuerunt ad Summum Pontificem, qui a Florentinis xiv. kal. Majas an. mccccxxxvi. diſceſſerat, ad Venetos, alioſque Italiae Principes, quibus etſi curae erat, ne in Etruriae viſceribus peſtis illa Picininia diutius moraretur, reprehendendum tamen videbatur Lucenſe bellum, quod aut ab ira & odio, aut ab dilatandi dominii cupiditate ſuſceptum eſſe apparebat.

Inter haec Coſmus, cui & patriae libertatis, & dignitatis ſuae, & poenarum ex inimicis ſatis erat, quia nihil admiſſum iri arbitrabatur, quod domeſticam tranquillitatem turbaret, milites eos dimiſit, qui cuſtodiebant Curiam & Forum, quique conſcripti fuerant, ut civium licentiae reſiſterent. Sed quamvis confideret iis, qui in civitate erant, vigilabat tamen ne ſibi inſidiae fierent ab abſentibus; & ſane miraberis Franciſcum Philelphum, qui quondam ampliſſimis honoribus & praemiis, ut ipſius litterae teſtantur, a Florentinis et Mediceis omnibus decoratus fuerat, de

illo, Carolo Marſuppinio, et Hieronymo Matthaei filio Forocornelienſi, qui Florentiae operam dabat medicinae, per Graecum ſicarium occidendis cum exulibus, qui Senis erant, conſenſiſſe. Comprehenſus Florentiae ſceleſtiſſimus homo cum fuiſſet, et omnium conſiliorum fontes aperuiſſet, abſciſſae ei manus fuerunt, decretumque ut lingua abſcinderetur Philelpho ipſi, ſi unquam in poteſtatem Reipublicae deveniſſet (55). Dum vero Coſmus ſpondebat perpetuam ſuam in libertate tuenda curam, et vigilantiam et fidem in bellicis et civilibus officiis, facile conſequebatur, ut quae ipſe expetebat, omnium ſuffragiis comprobarentur. Neque tum adeo ſors dominabatur in mandandis Magiſtratibus, ut ad regendam adminiſtrandamque Rempublicam ii vocarentur, in quibus aliqua maleficii reſideret ſuſpicio; nam cum in hac re modum quemdam et ordinem adhibendum cenſuiſſet Coſmus, patriae, ſuique rationibus mirum in modum proſpexit. Sane tum is erat Italiae ſtatus, eaque temporum conditio, ut ſi Florentina Reſpublica inteſtinis diſcordiis lacerari perrexiſſet, neque unus vir plus quam ceteri omnes conſilio et auctoritate valuiſſet, aut ad interitum occaſumque ipſa ruere, aut magnam partem priſtinae dignitatis et virium amittere coacta fuiſſet. Haud dubie aſpirabant ad Italiae imperium Veneti et Inſubrium Dux; Neapolitanum regnum morte Joannae Reginae, quae ſine liberis deceſſerat, vacuum

fra-

Digitized by Google

Alphonſus Aragoniae Rex & Renatus Andegaviae Dux armis petebant, horumque factiones omnia miſcere velle videbantur (56); Romanus Pontifex ſortunis pene omnibus ſpoliatus, coactuſque vagari in alienis terris, nullum ferme locum habebat ubi tutus ab inimicis consisteret; non modo eminebant, sed etiam dominabantur in illius ditione Braccianorum & Sfortianorum factiones, quarum Duces Nicolaus Fortebraccius, et Franciſcus Sfortia civitates & provincias armis subegerant & in potestatem suam redegerant; Genuenses & Bononienses omnia implebant ſanguine, dum de tuenda libertate laborabant; quantae demum inſidelitates in amicis, quanta facilitas ferendi bella ex bellis, ac foedera pacisque conditiones negligendi, violandi, rumpendi! In his fluctibus egebat sane Respublica Florentina scientissimo gubernatore, qui obviam iret temeritati & audaciae ambitiosorum, parta conservaret, & agris & urbibus patrium imperium augeret. Omnino talis vir erat Cosmus, ut non dubitem, quin, ſi illius vita in diversa tempora incidisset, eas exhibiturus fuisset virtutes, quae omnibus, vel dissimilibus, temporibus convenissent.

Vigilans hic moderator, mala aliena suam putans esse occasionem, non lenivit, sed inflammavit odium, quod habebat Pontifex in Puppii Comitem, & quia ipse rem ad arma vocaverat, quorum dux erat vir ad omne facinus audacissimus Joannes Vitelles-

chius, qui paullo ante Archiepiscopus Florentinus creatus fuerat, non diffidebat Cosmus, si huic res bene procederet, fore ut victoriae fructus in bonum Reipublicae converteretur. Haec quidem tum in poſſeſſionem venit Prati Veteris, qua in re Cosmus humaniter se gessisse ajebat, ne oppidum Casentini nobilissimum ferro ignique vaſtaretur. Caussa hujus Pontificii belli fuit Burgus S. Sepulcri, quod oppidum in Etruriae finibus ſitum quia possederat Nicolaus Fortebraccius, illo ſine liberis mortuo, sibi Puppii Comes dotis nomine (eidem enim nuptum dederat filiam) deberi contendebat. Dum jure & armis disceptabatur, Cosmus obtinuit, ut oppidum, tanquam ſi depositum eſſet apud Rempublicam, ab illa gubernaretur; quod vero non multo post illud Pontifici reddere coactus fuit, ejusdem acquirendi neque ſpem neque voluntatem dimisit. Interea nactus occasionem adjungendi ad Florentinorum imperium oppidum, quod S. Cassiani (57) arx dicitur, in Aemilia ſitum, hanc minime dimisit, & quo occultior atque tectior eſſet iſta cupiditas in aliena bona invadendi, jura & monumenta proferebantur, & vel illa, quae propter vetuſtatem obſoleviſſe videbantur. Movit & utilitas Florentinos, ut Petram Sanctam, quae tum a Genuensibus possidebatur, obſidebaturque a Mediolanenſibus, a vaſtatione defenderent, & dum negotium publicum ſedens in puppi agebat Cosmus aut in propulsandis periculis, aut in augenda

patriae fortuna, interim neque ſuum, neque amicorum negligebat. Certabat interdum utilitas cum honeſtate; hanc in rebus privatis ſemper ſervavit, illam in publicis maxime ſpectavit; & ſane ii tum erant mores imperantium, ut nihil tam commune eſſet quam aliena jactura ſuam rem amplificare. Quod non eo dico, ut judicem, quae non ſunt aequa & honeſta natura, ea fieri aequa & honeſta temporibus, ſed ut aut neceſſitatis, aut gloriae, aut patriae caritatis excuſatione Coſmum a poſterorum reprehenſione, atque injuriis defendam.

Quod hunc tangebat maxime cura Lucenſis belli, de qua omnes civitatis ordines una & mente & voce conſenſerant ſive Lucenſium odio, cujus tamen nulla ſatis juſta cauſſa reperitur, ſive ſtudio ignominiae delendae, quae ſuperiore bello videbatur inusta Reipublicae, nulla non arte ſollicitabat Franciſcum Sfortiam ad incepta perficienda. Nihil opportunius potuit accidere diſceſſu Picininii, qui in Ciſalpinam Galliam vere an. MCCCCXXXVII. rediit, diminutum exercitum, quem collegerat ex hominibus deſperatis, ex agreſti luxuria, ex ruſticis mediaſtinis ſuppleturus. Tum captus fuit Mons Caroli, Viaregium cum aliis caſtellis, quae ſunt in ora maritima, Carraria, Moneta, Aventia, & recuperatum quoque fuit Sergianum, & nonnulla Apuanae Provinciae oppida, eaque Dominis, ad quos pertinebant, reſtituta. Lucenſis vero ager, ma-

turis jam frugibus, non modo vaſtatus ſed pene exinanitus fuit; ſed quantam licentiam habebant hostes ad depopulandum atque rapiendum, tantum habebant animi, qui in civitate erant, ad defendendam libertatem. Manus illa Sfortiana ſemper fuit victrix in capiendis oppidis, ut nulla pene ſupereſſent Reipublicae, ſed quas adhibuit vires, & quas comparavit machinae ad expugnandam civitatem aut ferro aut fame, in irritum cecidere. Rediit interea in Etruriam per montes aſperos, qui ſunt in finibus Lucenſium, Picininius, verum quia omnem ferme ad urbem aditum tum foſſis, tum vallis, tum caſtellis praecluſerant Florentini, ad oppidum Bargam divertit, non tam loci natura, quam defenſoribus munitum. Id poſitis caſtris cum obſideret, militesque nil hoſtile timentes (xxx enim paſſuum millia Franciſcus aberat) cuſtodias obirent negligentius, eos impeditos & inopinantes aggreſſus eſt Petrus Brunorius, quem Sfortia praefecerat levis armaturae peditatui, magnum eorum numerum concidit, reliqui ſe ſe fugae mandarunt. Eo in praelio, accepto vulnere, captus eſt Ludovicus Gonzaga Mantuanorum Ducis Filius, qui, adverſante patre, multis ſane Coſmo nominibus & ob acceptam etiam ab eo pecuniam obſtricto, arma adverſus Florentinos ſumpſerat. Tum inſtare apud Florentinos coeperunt Veneti, ut quoniam multa bene proceſſerant, & non ſolum ſperare, ſed etiam confidere poſſent ſe tandem Luca potituros, Franciſcum ad

ſe mitterent, quo conjunctis viribus Mediolanenſem agrum depopularentur, cogerentque Ducem domeſtico fatigatum bello curam ſervandae Lucae abjicere (58). Quod erat fama id quaeri, ut obſidione Luca liberaretur, neque Florentinorum rationibus conduceret talem dimitti belli ducem, hujus & ſuorum nomine ea reſpondit Coſmus, quae magnam voluntati Venetorum difficultatem afferebant. Haud negari tamen iis potuit, quin Franciſcus ſaltem Regium Lepidi peteret (59) ac Parmenſem popularetur agrum, quo illius defendendi cauſſa Picininius ab oppugnatione Bergomi, quam inſtituerat, evocaretur. Neque ſane res aliter evenit. Sed cum ipſe magnum collegiſſet exercitum, ſeque magna copia earum rerum, quae ſunt ad bellum neceſſariae, inſtruxiſſet, palamque jactaret ſe ad ſolvendam obſidionem Lucenſem iter ſuſcepturum, ejus minis & terrore plurimum commoti ſunt Florentini. Vehementer itaque egerunt cum Venetis, ut Franciſcum Lucam reverti ſinerent, quod conceſſere, ſatis ſibi factum exiſtimantes, quoties belli moles a ſe ſe in Etruriam transferretur. Franciſcus igitur, ſuperato per Mutinenſes montes Apennino, Lucam rediit. Secutus diverſis itineribus Nicolaus montium, qui interjacebant, jugis appropinquavit. Quanquam autem peditatu plurimum poſſet Franciſcus, tamen veritus tum hoſtis omnium verſutiſſimi inſidias, tum belli fortunam, intercidebat obſepiebatque interim loca ſingula,

per quae Nicolao tranſitus daretur: quo tamen tutius obſiſteret hoſti, augeri copias ſuas a Florentinis enixe poſtulavit. Sed cum in promptu nulli eſſent equites, a Venetis petunt, ut Guidonem Antonium Manfredium cum equitibus qningentis auxilio mittant. Facile id impetratum eſt, quod offenſiones ab injuria, & a zelotypia natae coegerant & Manfredium ipſum, & alios mercenarios Duces miſſionem a Venetis poſcere. Tum Sfortia a Florentinis atque a Venetis ſibi ex aequo promiſſa ſtipendia efflagitare. Nulla mora a Florentinis, adnitente Coſmo, ſatis ei factum eſt: denegabant Veneti nullam aliam ob cauſſam, niſi quod ad eos, ut primum vocatus fuerat, non venerat, atque recuſaverat Padum tranſire, ut propius Mediolani Ducem premeret atque urgeret.

Non una erat cauſſa, quare is nimium opprimi Philippi potentiam nollet, illa in primis, quod magna in ſpe erat fore, ut ille ſibi in matrimonium daret unicam filiam nomine Blancam, per quam licet ex concubina genitam jus in Inſubrium imperium ſuccedendi obtineret. Hoc ſignificaſſe Philippus viſus eſt, cum ad ipſum oratores in Etruriam miſiſſet, qui praeter omnium opinionem benigne accepti & comiter dimiſſi fuerunt (60). Id cum aegre paterentur Florentini, intelligerentque, ſi Veneti perſeveranter promiſſa ſtipendia ſolvere recuſarent, illum ſe ſibi conſulturum, ne amitterent virum, in quo ſpes omnis erat Reipublicae,

ineunte vere an. MCCCCXXXVIII. deliberarunt Venetias legare Coſmum, cujus laudes memoria omnium civium incluſas, & auctoritate etiam publica teſtatas aditum ad id, quod quaerebatur, patefacturas confidebant. Venetus homo (ſic enim a ſuis Coſmus appellabatur) honorificentiſſime acceptus fuit, ductusque in Curiam in hanc ſententiam diſſeruiſſe dicitur. *Si ad vos, Patres ampliſſimi, feriendi foederis cauſſa venirem, multa fortaſſe mihi facienda verba eſſent, ut id ad communem utilitatem ſpectare probarem: ſed quoniam jamdiu amicitia juncti ſumus, & mirifice ſemper noſtri ſenſus cum in pace, tum in bello congruerunt, nunc id ſperare & moliri debemus, ut vincula, quae multi nequicquam ſolvere conati ſunt, arctius aſtringantur. Quae inde ad vos pervenerint emolumenta nos non ſolum aequo animo, immo vero etiam gaudenti ac libenti reminiſcimur, & tum Deo immortali gratias agimus, tum nobis ipſis gratulamur, quod & noſtris auxiliis florentiſſimi imperii veſtri fortunam non modo defendere, ſed etiam amplificare potuiſtis. Si adeo nos movit veſtra utilitas, ut pro ea maximas inimicitias ſuſcipere & ſummma pericula adire minime dubitaverimus, nulla ne vos cura tanget urbis noſtrae, quae hujusmodi nunc implicatur bello, quod geri pro dignitate populi Florentini, & perfici quam primum oportet? Si hercle nulla alia cauſſa, ſaltem perfidia & iniquitas Lucenſium veſtros animos excitare & inflammare deberet. In pace nunquam fidi fuerunt; ſaepe*

agros noſtros depopulati ſunt ; Etruriam omnem adverſus nos concitare voluerunt , hodieque id moliuntur ; & ne ullus ſceleribus modus eſſet , opem & auxilium ferre Picininio minime dubitarunt , cujus effrenatus & praeceps furor univerſae Etruriae ſervitutem minitabatur. Quid aliud fuit reſiſtere tam capitali hoſti , niſi a vobis amovere pericula , quae ſemper procreata ſunt ab eo , quem Mediolanenſium Dux armaſſet ? Fuit igitur cauſſa communis belli inferendi , & multo labore multiſque impenſis eo jam deducta res eſſe videtur , ut brevi illud confici poſſe confidamus , ſi conſtans & ſtabilis erit amicus Franciſcus Sfortia , ac firmam invictamque manum ob negata a foederatis ſtipendia abducere ab Etruria minime cogetur. An mediocre diſcrimen opinionis atque detrimentum ſecuturum ex hac re putatis ? Fundamentum enim & gloria imperiorum eſt fides atque conſtantia promiſſorum , quae ſi exſolvere vel iis denegabimus , ex quibus maximos fructus tulimus , fruſtra implorabimus hominum auxilium, & amicitiae in graves inimicitias convertentur. Adeſt Deus teſtis foederis, quod inter nos & Sfortiam veſtrum non modo ſapientiſſimum judicium , & utriusque Reipublicae utilitas , ſed & temporum vincula conjunxerunt , & ipſe ultor erit violati. Noſtra profecto mens eſt a nobis avertere infamiam & poenam , cum non juſtitiae modo , quam praeſentibus Reipublicae temporibus convenire arbitremur , minime adigere hominem , quem fortuna & virtus in ampliſſimo ſtatu collocavit , ad aliena ſubſidia

dia

dia quaerenda. Indiget ille pecunia, & niſi illi promiſſa ſolvatur, ſane confugiet ad opem Mediolanenſis Ducis, cujus hoc fatum eſſe videtur, ut in veſtram perniciem maxime incumbat. Ille ne continebit impetus ſuos, cum omnium ſtrenuissimos & potentiſſimos Duces Picininium & Sfortiam in ſua poteſtate habebit? Quae tum opes ac vires ejus odiis obſiſtere poterunt? Noſtis quae ſeparatim egerunt, & quanta in converſione rerum ac perturbatione eorum cauſſa univerſa Italia verſata fuerit. Non me latet Sfortiam atque Florentinos culpari a vobis, quod ille toties requiſitus Padum cum ſua manu trajicere recuſaverit. Juſtas quidem & magnas ſe habere cauſſas affirmabat, ſed nulla juſtior, quam quod verebatur ne, ſi longius abfuiſſet, Piceni poſſeſſionem ſua virtute partam retinere minime poſſet. Nos quidem adeo commovit veſtra poſtulatio, ut etiamsi ejus diſceſſu non debilitaretur modo, ſed et pene evaneſceret ſpes Lucenſis belli conficiendi, prece & obſecratione vehementi obtinuerimus ab eo, Regium Lepidi ſaltem concederet, & cum Legatis veſtris de communi ſalute conſentiret. Gaudentes ſane illum in Etruriam redeuntem vidimus, poſtquam vos illius virtutis fructum haud mediocrem cepiſtis, nec minus vos laetari decet pro magna & veteri & utili neceſſitudine, quod per eum de finitimis noſtris, qui ſemper infidi fuerunt, triumphare poſſimus. Satis multa haec eſſent non iniquis, nimis etiam multa vobis, quos aequiſſimos eſſe confido. Reſtat, ſi veſtri imperii ulla vos cura tan-

Digitized by Google

git, ut circumſpiciatis omnes procellas, quae impendent, niſi providetis, ne nimium augeatur intoleranda Inſubrium Ducis potentia. Si ſecus conſulitis, nos quidem rationibus noſtris proſpiciemus, & qui fide & officiis erga vos clari fuimus, fortaſſe non minus celebrabimur virtute, prudentia ac vigilantia, qua dignitatem Reipublicae adverſus hoſtes & foedigrafos ſumus defenſuri. Excepit ejus orationem, ita jubente Senatu, Foſcarus Princeps, vir (ut multi ſemper ſunt apud Venetos) facundus & promptus. Is poſtquam honorificentiſſime Coſmum appellavit, ut quam gratiſſima ejus legatio eſſe cognoſceretur, & multa de praeſenti rerum publicarum ſtatu diſſeruit, ut ſummam Senatus ſapientiam non modo in praevidendis, ſed etiam in repellendis periculis probaret, concluſit, *huic nunquam in animo fuiſſe aut retardare, aut impedire de Lucenſibus victoriam; credere ſe eo conſilio mercenariis militibus ſtipendium a majoribus conſtitutum, ut illorum opera, qui aurum impenderent, uterentur; verum Sfortiam, cui Florentini tantopere conſultum vellent, non modo Venetis militaſſe, ſed ſuam etiam operam, tunc cum maxime opus fuit, obſtinate denegaſſe; quare illum ſibi haberent, illi pecuniam ſolverent, qui ex ipſo fructus aut percipiebant, aut ſperabant: ſi vero Florentini Venetos deſererent, ut Sfortiam ſequerentur, fore ut tam infidi conſilii eos poeniteret, daturoſque & ſuperis & hominibus, per quos olim ſervati eſſent, meritas violati foederis poenas.* Prorſu

ex his dictis non videbatur eſſe dubium, quin Venetorum conſilia longe alio ſpectarent, quam optabant Florentini. His tamen alterum poſt Coſmum legatum mittere Venetias placuit (fuit hic Julianus Davanzatius) cum quo minus comiter, quin etiam ſuperbe actum est. Coſmus, poſtquam aliquot dies Venetiis fuit, Ferrariam ad Pontificem profectus eſt.

Deſperato Venetorum auxilio, id conſilii animique habituri Florentini videbantur, quod iis Sfortia effeciſſet: meminiſſe illum rogabant quos ſumptus impendiſſent, quot labores ſuſtinuiſſent, quot adiiſſent pericula Lucenſis belli cauſſa, ut ad illud mature perficiendum inflammarent. Cum ipſo quoque, quod miraberis, Inſubrium Duce egit privatim Coſmus, ut eumdem a ferendo auxilio Lucenſibus revocaret; ſed quocumque ſe verteret, quoscumque imploraret, doluit aut imminutam gratiam ſuam, aut auctum ſtudium erga eos, qui quidquid ſe pati malle, quam Florentinis ſervire liberis dictis & fortibus factis oſtendebant. Quoniam igitur tempori cedendum erat, nec ſperari poterat unquam deſertum iri Lucenses a Mediolanenſium Duce (61) & vires Reipublicae opponendae erant Picininio, qui, capto Aureolo Florentinorum in Aemilia oppido, univerſam Provinciam terrore compleverat, facile ad conditionem pacis Sfortia Florentinorum animos adduxit. Haec prima lex ſancita fuit, ut Lucenſibus decem annorum induciae a Florentinis daren-

I 2

tur, hique ſex millibus paſſuum ab urbe retinerent omnia, quae ipſis tempore belli ademerant. Hujus pacis arbiter Sfortia ſe ultorem fore promiſit injuriarum, quae ab his vel illis inferrentur. Percuſſum inde foedus inter Sfortiam ipſum & Philippum, quod inter ceteras illam habuit conditionem, ut neque Picinìnius (62), neque alius, qui Philippo militaret, Florentinos armis laceſſeret, quippe quorum Sfortia, ut antea, ſtipendia merebatur. Multa praeterea alia Francifci nomine ita adjecta fuerunt, ut nulla Venetis juſta de Florentinis querendi cauſſa daretur. Cautum enim antea fuerat, ne unquam hi de pace agerent, illis inconſultis, quibus & pacis & belli arbitrium permiſiſſe videbantur. Tulit eam pacem Venetus iniquo animo, & Picininius etiam iniquiore ob eam maxime cauſſam, quod Sfortia & foederis & propinquitatis vinculis cum Philippo conjunctus (hic enim ei filiam deſponderat) tutam ad Inſubrium imperium obtinendum ſibi muniviſſe viam videbatur. Nec ſibi admodum laetandum eſſe judicarunt Florentini, quod erepta ſibi fuerit ſpes & poteſtas ſubjiciendae Lucae, quo cupiditatem infinitam cum immani crudelitate jampridem intenderant.

Dum haec agerentur, Coſmus commorabatur Ferrariae apud Pontificem, neque a ſuis modo civibus & a Fratre Laurentio (63) diligentiſſime de omnibus rebus certior fiebat, ſed etiam a Sfortia, quocum

Digitized by Google

quaſi ſocietatem quamdam omnium conſiliorum inierat, & de cujus fortuna vehementiſſime laborabat. Atque ille quidem, etſi ſuae praeſertim utilitati conſuluit in iis, quae egit cum Mediolanenſium Duce, minime tamen ab officio atque a fide, quam Florentinis debebat, diſceſſiſſe videtur, quod eos a propoſito oppugnandae Lucae, atque a periculo convertendi propterea in ſe ejusdem Ducis arma removerit, poſtquam Veneti contra foederis religionem omnem de ſociorum rebus curam abjecerant. Nullum enim tum conſilium magis ſalutare erat, cum Florentini ſine illis & ſine Sfortia pares hoſtibus eſſe non poſſent. Id quidem cavendum ſemper omnibus iis erit, qui armorum fortunam tentandam putant, & exempla haec vere pro documentis habenda, ne ita externis fidant auxiliis, ut non plus ſui roboris ſuarumque proprie virium in caſtris habeant. Poſt haec turbator ille Italiae Picininius, cum Ravennam, quae in Venetorum fide erat, Forum Cornelii & Bononiam, quae tum urbes parebant Pontifici, armorum vi obtinuiſſet, omnem impetum belli in Ciſalpinam Galliam tranſtulit, ut expoliaret Venetos Bergomenſi, Cremonenſi & Brixienſi agris, & in hoc porro bello multa ille animoſe & fortiter geſſit. Alterum vero illud fulmen belli Franciſcus Sfortia in Apuliam tranſiit, tum ut reviſeret confirmaretque eorum oppidorum atque urbium populos, quos pater illius ſuam in ditionem redege-

Digitized by Google

rat, tum ut Renato Regi auxilio eſſet, cujus partes ipſe cum ſuis omnibus adverſus Alphonſum Aragonenſem defendendas ſuſceperant. Tali modo Florentina Reſpublica a metu bellorum reſpirare coepit, & in hac tranquillitate ſtuduit aut pecuniae, aut opibus, aut gloriae, omnem urbanarum rerum motum gubernante Coſmo.

Approbantibus cunctis, negotium ei datum fuerat, ut alliceret Pontificem ad transferendum Ferraria Florentiam oecumenicum Concilium. Suadendo, monendo pollicendoque gratum id ſingulis privatim, gratum univerſo Senatui fore, moverat jam Eugenii animum, atque optima ſpe ad ſuos redierat. Hanc confirmavit peſtilentia, qua conflictari Ferrarienſes coeperunt. Itaque Florentini ſuorum negotiorum ſemper bene gerentes Ferrariam legatum miſerunt Laurentium Mediceum (64) (rediiſſet & Coſmus, niſi ſortitione facta, iterum exeunte an. MCCCCXXXVIII. renuntiatus fuiſſet Vexillifer Juſtitiae) ut deſiderium & voluntatem Reipublicae proponeret, & pactiones quaſdam cum Pontifice ipſo conficeret. Vel quando Baſileae Concilium convocatum erat, egerant vehementiſſime, ut ſuam urbem Patres tanquam ſedem deligerent, qua nulla opportuniorem eſſe dicebant vel propter ſalubritatem aeris, vel propter abundantiam & copiam omnium rerum, quibus vitam ſuſtentamus, vel propter loci commoditatem, quoties ex Graecia,

Digitized by Google

aliiſque remotis regionibus vocandi Patres eſſent (65). Sed alia ſpectabant, qui Baſileam convenerant, qui cum prope bellum indixiſſent Eugenio Pontifici, hunc ampliſſimi ſacerdotii uſurpatorem appellabant. Non fuit tamen ſine Florentinorum & praeſertim Coſmi utilitate ipſum Baſileenſe Concilium. Foenerabantur per menſarios, permutabant, & Concilii etiam nomine exigebant pecunias, & quod non mediocris erat apud omnes opinio Coſmi fidei, auctoritatis & gratiae, ſaepe ab illo conventu de magnis rebus mandata habuit, in quibus exequendis etiam atque etiam videbat, ne ab ſe Pontificis animum abalienaret (66). Quoniam vero hujus eſſe putabatur Concilia vel inſtituta dimittere, vel habita reſcindere, vel nova convocare, non ſine cauſſa Eugenius Baſileenſes Patres temeritatis (67) damnavit, et Graecos, qui ſe ad Concilium venturos promiſerant, Ferrariam propter opportunitatem loci accedere juſſit. Vel dum Martinus v. Pontificatum maximum gerebat, actum fuerat de conjungendis Graecis cum Latinis, qui plurimis in rebus jamdiu inter ſe diffidebant. Quod tum perfici non potuit, ſtudioſe diligenterque curavit illius ſucceſſor Eugenius, & poſtquam diu diſceptatum eſt de loco, quo haberi Concilium debebat, qui primum vocati fuerant Bononiam, mox Ferrariam convenerant, demum ſe ſe ad Florentinos, ineunte an. MCCCCXXXIX. & vocibus Ambroſii Traverſarii, & peſtilentiae metu commoti

Digitized by Google

tranſtulerunt. Hi domos ſatis amplas Patribus aſſignarunt; ut eſſet copia omnium rerum, quae ſunt ad vitae uſus neceſſariae, ſtuduerunt; & pecuniam, quantam ad alendos Graecos, qui ſupra quingentos erant, & illorum itineris expenſas ſolvendas Coſmus Eugenio pollicitus fuerat, tantam dari placuit. In illo apparatiſſimo ſpectaculo, quo ſummum Pontificem primum, deinde Joſephum Patriarcham Coſtantinopolitanum, ac triduum poſt ipſum Graecorum Imperatorem Joannem Paleologum ejuſque fratrem Demetrium cum magno eorum comitatu civitas excepit, primae ſemper partes fuerunt Coſmi, qui ſe non elegantem modo, ſed & magnificum (nam ut oderat privatam luxuriam, ſic publicam magnificentiam diligebat) videri voluit. Noſtrum non eſt referre quae egerint, quae in diſputationem vocaverint Patres, quid ſit illud de quo inter ſe convenerint, & quae fecerint decreta, quaſque tulerint leges. Rerum & verborum diſcrepantiae, quae jamdiu inter Graecos & Latinos magno cum Eccleſiae detrimento fuerant, illo oecumenico Concilio ſublatae omnino fuiſſe viſae ſunt; de qua animorum concordia cum ſcriberet Coſmus ad Franciſcum Barbarum veterem amicum ſuum, ajebat in illa procuranda fuiſſe viros diſertiſſimos, & prope divinos Beſſarionem, & Iſidorum Theſſalonicenſem, & cum a Cardinali Caeſarinio & a Beſſarione ipſo recitata fuiſſent capita, de quibus omnes convenerant, non ſolum, ipſis dicentibus, amicum

cum quiddam & dulce reſonaſſe, verum etiam ſpectantes audientesque laetiſſima voluptate perfuſos fuiſſe. Armeni etiam, Rutheni aliique, qui ad Concilium venerant, formulam Catholicae fidei conſentaneam ab Eugenio Pontifice habuerunt; ſed quae ſancte & communi omnium, ſi unum excipias Marcum Epheſium, voluntate praeſcripta fuerant, Graecorum ipſorum aliorumque levitate & malitia poſtea magna ex parte violata fuere (68). Octo & amplius menſes fuit Florentiae Graecorum Imperator, qui ſaepe declaravit quanti faceret Coſmum, & quam grata ſibi ejuſdem & omnium Florentinorum fuiſſent officia (69). Ea propter dimidia ex parte minuit vectigalia, quae Florentini mercatores, qui negotiabantur Bizantii reliquisque in urbibus, quae erant in ditione sua, ſolvere conſueverant, iiſque donavit amplam domum, quam in ipſa urbe Byzantii obtinuerant Piſani, dum florebant libertate & commercio. Quem omni honore vivum proſecuti fuerant Florentini Patriarcham Coſtantinopolitanum, mortuum prid. id. Junii, quatuor & viginti dies ante quam Concilii acta publicarentur (erat enim ſenectute confectus) (70) magnificentiſſimis exequiis & ſepulcri monumento decorarunt. Quae dum agebantur Florentiae, non continuerunt temeritatem atque inſolentiam ſuam Baſileenſes Patres. Uſque eo lapſi ſunt, ut poſtquam compoſitas atrociſſime diras imprecati fuerunt Eugenio, Pontificem Maxi-

mum creaverint Amadeum Sabaudum, quem ex eremo ad ampliſſimae dignitatis onus Felicis v. nomine ſuſcipiendum vocarunt. Haud miraberis vel illi cum Coſmo aliquid commercii fuiſſe (71), quod hujus auctoritas multum apud omnes valebat, conjectique in ipſum erant omnis pene Europae oculi.

Inter haec minime quievit Inſubrium Dux, qui quoties ponebat arma, non pacem facere, ſed bellum diferre videbatur. Angebat ingentis ſpiritus virum cura recuperandae Brixiae, omnique ratione vexandi Venetos, cum quibus ſibi perpetuum bellum fore oſtendebat. In magna rerum perturbatione, maximiſque periculis, quae impendebant Reipublicae a Philippi & Picininii manibus, quae, cum proſpere multa geſſiſſent, ad omne facinus paratae eſſe videbantur, Veneti Sfortiam & Florentinos, quos paullo antea ſuperbe nimis deſpexerant, reſpicere coeperunt. Ea de cauſſa missi ad utroſque legati fuerunt, omnibuſque precibus exoratus est Coſmus ab Andrea Donato (hic enim, ut pote Florentinis acceptissimus, a quibus paucos ante annos in civitatem receptus Florentiam venerat) ne officia ſua veteribus amicis, qui nunquam non ejus virtutem honorarunt, denegaret. Ancipiti contentione distrahebatur Sfortiae animus. Apud illum poterat plurimum ſpes obtinendae Philippi filiae, quae ſibi per foedus pacta fuerat. Sed quia ille trahebat nuptias, & alias deinde alias morae caussas afferebat, quaſi verbis elu-

dere generum vellet, huic jam ardebat animus, & cumulatum ejus cor ira fuit, cum a Troilo, cui omnia credere ſolebat, quemque ad ſollicitandas nuptias Mediolanum miſerat, audivit ſibi non nisi verba ab homine ſine dubio verſuto & callido data fuiſſe. Accedebat ad id anguſtia pecuniae, quam promissam a Philippo minime retulerat, nec tantam a Florentinis exigebat, quanta ſatis eſſet ad ſuſtentandos retinendoſque in fide milites, praeteritarum rerum recordatio, & recens ſuſpicio. Nam ejus aemulus Picininius, dum magnopere ſuos ad Brixiam oppugnandam hortabatur, ac quidam interim diceret, quid eſſet quod vitam ſuam telis hoſtium objiceret, cum urbem ipſam & cetera non ſibi, ſed Sfortiae, qui futurus eſſet Philippi haeres, parari non ignoraret, reſpondiſſe fertur: *Pergeret ipſe, pergerent & alii Brixiam expugnare, qua capta, prius in Piceno futuri eſſent, quam calamiſtratus ille ſponſus ſe affuturos ſuſpicaretur. Tum ibi ego,* inquit, *ſponſa, & vos ephebi ſaltatores eritis.* Haec ut reſcivit Sfortia, conſuluit Coſmum quid sibi agendum eſſe cenſeret, communique consilio Venetis adeſſe, & quae ab iis proponebantur, conditiones minime reſpuere deliberarunt. Renovatum itaque, Eugenio quoque Pontifice hortatore, quinquennale foedus fuit Florentinos inter, Sfortiam & Venetos ea inter ceteras lege, ut Sfortia ipſe ſummum copiarum imperium haberet (72), ut ei quotannis penderentur ccxx nummum aureo-

Digitized by Google

rum millia, quorum tertiam partem ſolverent Florentini, ut quae ipſe a communi hoſte armis abſtuliſſet praeter Cremonam, quam Veneti sibi deſtinaſſe videbantur, retineret, utque foederatae Reſpublicae Picenum, quod tum erat in ejus ditione, ab inimicis defenderent. Vocati alii in foederis ſocietatem fuere, quo ſuperbiens Sfortia a timore Philippi, quod deſperabat ab amore ac fide, facile obtinere ſe poſſe confidebat. Quia non ſatis conſtabat qua ratione gerendum esset bellum, quamque viam tenere debuisset Sfortia, Veneti ſignificarunt Florentinis legatum opus eſſe ad ſe mitti virum prudentem, cum quo quae vellent de Republica loquerentur. Haec legatio data eſt Nereo Capponio, ampliſſimo civi, qui in Senatum admissus, eloquenti ſane oratione ſtudia & beneficia Florentinorum in Venetos commemoravit, affirmavitque licet paria & mutua non ſemper fuerint officia, ſuos tamen praeteritorum memoriam obliteraſſe, mandaviſſeque jam Sfortiae, ut Padum tranſiret, & ubi hoſtium arma validiora eſſent, eo quanta maxima posset celeritate contenderet, quamvis timendum esset, ne ſi ille longius ab Etruria diſcederet, in hanc impetus armorum converteretur. Extremum orationis fuit: *moriamur milites, dum morte noſtra illa furia & peſtis Italiae Philippus aut in perpetuum extinguatur, aut ſaltem reprimatur*. Nullus unquam legatus tam libenti Senatu exauditus eſt, ac Capponius & propter

ſummam hominis dignitatem, & propter ſpem, quam ſecum afferebat fore, ut ex maximo, in quo verſabatur Reſpublica, diſcrimine eriperetur. Tota hac in re haec duo maxime ſpectavit Coſmus, ut Philippus ac Veneti haberent quod timere, & quod ſperare poſſent, ille a Sfortia, hi a Florentinis, qui dum non ſolum fidis, ſed etiam infidis amicis beneficia impertiebantur, magnitudine quadam animi celebrari volebant. Plurimum etiam intererat & ad ſua conſervanda, & ad aliena obtinenda augeri potentiam Sfortiae, in cujus fortuna totius hujus belli diſcrimen poſitum eſſe videbatur. Multae proſperae res, quaedam adverſae laetitiam & luctum miſcuere. Recuperata Verona, periculo deditionis Brixia liberata, in Ladronia valle victus ac fuſus exercitus Picininii, qui culeo incluſus, ac tanquam vilis ſarcina ad fallendos hoſtes a milite deportatus mortem vitavit; quae priuſquam acciderent ad Benacum lacum magnum ſane detrimentum Veneti accepere, eorumque claſsis ferme deleta fuit. Mediolani Dux, quo propius in ſpem venerat redigendi in poteſtatem ſuam Veronam & Brixiam, eo plus ira exarſit in Florentinos, quibus unice tribuebat, quod proſpere incepta ſua in irritum cecidiſsent. Jussit itaque Picininium ultorem eſſe doloris ſui, & copias ſuas in Etruriam trajicere. Venisse cum eo dicuntur quidam Florentini exules, qui nullum audaciae finem ſtatuentes, laetantesque in patriae trepidatione, ſignificarunt Coſmo, *ſe non dormi-*

Digitized by Google

re; quibus ille, *credere ſe quidem, quod eos ſomno privaſſet*. Pro certo pollicebatur hoc Rainaldus Albitius Philippo atque confirmabat, simul ac Piciniaius ad Etruriam acceſſiſſet, futurum motum populi Florentini, cui intolerabile erat ſervire homini omnium impuriſſimo, conjuraturosque contra Rempublicam Caſentini Comitem, Joannem Vitelleschium Cardinalem, qui ad ſummum imperium, quod exercebat in Pontificis copias, adjungebat etiam crudelitatem, calliditatem & ſuperbiam naturae, alioſque Regulos, qui in Aemilia dominabantur. Quod nihil tam commune erat iis temporibus, quam infidelitas in amicis, deſciverunt a Republica Malateſtae, interceptaeque litterae fuerunt Joannis Vitelleſchii ad Picininium, quae quamvis arcanis notis ſcriptae eſſent, ſatis firmam tamen criminis ſuſpicionem dabant. Tum Cosmus quaſi reprehendere & ſubaccuſare viſus eſt Pontificem, quod tot beneficia in hujusmodi hominem (fuerat enim primum Notarius Apoſtolicus, & Recanati Episcopus, mox Patriarcha Alexandrinus, ac demum Cardinalis & Archiepiſcopus Florentinus) congeſisset, quodque ei in primis fidem habuisset, atque ipſum admonuit ſuae dignitatis & aequitatis eſſe poenas ab ipſo nefarii ſceleris repetere. Hac de caussa Florentia Romam missus eſt Lucas Pittius, qui rem ita egit cum Praefecto arci S. Angeli, ut per dolum Vitelleschius ex Urbe jam jam diſcessurus comprehenderetur. Vulnus accepit in

capite, quia enſe, quem ſemper geſtabat, ſe ſe ab arcis militibus defendere voluit. Dum vulneri medicina adhibebatur, aderat Pittius, qui adeo ſpecillum manu compreſſit, ut laeſum cerebrum ſtatim mortem attulerit. Tam foedo homine liberati Florentini & Pontifex, Piciniui impetus se se facilius compressuros ſperabant.

Due viae ſunt, ſane anguſtae & difficiles, ab Aemilia in Florentinum agrum, altera per Vitis, altera per Amonis vallem. Ab illa repulit Picininium Nicolai Piſani virtus, hanc eidem aperuit timiditas atque ignavia Bartholomaei Orlandinii, qui si copiis, quas a Republica acceperat, defendisset Marradium oppidum natura munitiſſimum, omnem ſane hoſti ad Mucellanum agrum aditum interclusiſſet. Itaque Picininius, cum, resistente nemine, Apenninum ſuperasset, caſtra ad Puliccianum (id caſtello nomen eſt) poſuit. Minuit profecto ſpem, quam obtulerat ſuis, potiundae urbis Florentiae, ut immensae ejus divitiae victoribus praemium eſſent, fortitudo, qua ejus impetus ſuſtinuerunt ignobilis caſtelli defenſores. Quod dum oppugnabatur, praedae cupiditas longius milites evocabat, neque ex occulto insidiandi, & diſperſos circumveniendi ſingulis deerat audacia. At in ejusmodi difficultatibus quantum diligentia provideri potuit, proviſum eſt; & quamvis hoſtes vel ad loca urbi propinqua excurrerent, & omnium civium animi ad ulciſcendum arde-

Digitized by Google

rent, viſum eſt potius, dum externa auxilia non advenissent, ut in nocendo aliquid omitteretur, quam cum aliquo detrimento militum noceretur. In urbe ipſa contra ſpem Piccininii & exulum Florentinorum, qui cum illo venerant, erant omnia pacata. Nam plebs eam voluntatem, quam ſemper habuit erga Coſmum, retinebat, magiſtratus ab ejus ſidelibus amicis gerebantur, & ſi qui erant paullo infenſiores, occultabant & diſſimulabant iracundiam ſuam vel propter metum, vel propter patriae caritatem. Verens Sfortia, ne quid durius accideret, magnis itineribus contendere Florentiam deliberaverat, ſed Veneti multa pecunia, multiſque precibus obtinuerunt ab eo, ne proſpere incepta defereret, & ne quid concederet Inſubrium Duci, qui nulla alia de caussa Piccininium jusserat transducere copias in Etruriam, niſi ut eum a Ciſalpina Gallia abduceret. Homini virtute praeſtantissimo, cujus opera eximia in hoc gerendo bello extitit, ſingulares honores, cum Venetias de communibus foederatorum rebus conſulturus venisset, habiti fuerunt, de quibus ſic ſcribebat ad Coſmum, ut paratum ſemper auxilium suum ad ejus voluntatem futurum oſtenderet, cum nulla occupatio, nulla utilitas posset esse tanta, ut interrumperet iter amoris & officii ſui. Interim in Etruriam mille equites miſit, & Petrum Joannem Paullum Urſinium alioſque ad comparanda ſubſidia ſollicitavit. Tum Piccininius deſperans poſſe ſe magnum

gnum aliquid efficere, dum in Florentino agro conſiſtebat, poſtquam ea loca, in quae incurrit, vaſtavit, iter ad Caſentinum direxit, invitatus ab illius regionis Domino Franciſco Guidio. Hunc licet Florentini multis beneficiis firmiſſimum reddere ſtuduerant, detorſit tamen adeo aut in Albitium amor, aut in Coſmum odium, ut quidlibet perfidioſum atque nefarium committere non erubuerit. Indignationi cauſſam dediſſe a multis creditur repulſa, quam tulit, cum Gualtradam filiam ſuam pulchritudine & caſtimonia illuſtrem in matrimonium duci a Petro Coſmi filio concupiviſſet (73). Sed ii erant mores Florentinorum, ut domeſticas nuptias externis anteponerent, neque dubitabat Coſmus, quin ſibi invidioſum futurum fuiſſet, ſi ſe ſe cum viro potente affinitate devinxiſſet. Acceſſit eodem Nerei Capponii aliorumque amicorum conſilium, qui affirmabant nihil tam conducere ad retinendam populi benevolentiam, quam aequalitatem quamdam fortunae, & pares honorum gradus. Sed quaecumque fuerit cauſſa odii Guidii in Coſmum, nullam ejus perverſitas atque improbitas (quin dicam ſtultitia?) excuſationem habere potuit, effecitque ut illum conſilii ſui, quanquam ſero, poenituerit.

Interea creverunt opes animique Florentinorum. Ad eas copias, quas habebant, tria millia equitum & quingenti pedites, qui militabant Pontifici, adduntur. Dux eorum erat Ludovicus Scarampius Patriarcha

Aquilejenſis, quo & medico uſus fuerat Eugenius, ſed Simonetta magni nominis miles adjutor ad res gerendas datus erat. Verum magis quam hos, timebat Picininius Sfortianos milites, atque adfuturum Sfortiam arbitrabatur, poſtquam multas gloriosas victorias in Ciſalpina Gallia conſecutus fuerat. Multa jam ipſe ceperat oppida Caſentini, quae in ditione erant Reipublicae, de Cortona & Peruſia patria ſua opprimenda cogitaverat, qua in re cum minime ei ſors faviſſet, & erepta quoque ſpes fuiſſet ſubjiciendi Tiphernates, extremam belli fortunam, antequam ipſe in Ciſalpinam Galliam revocaretur, aut Florentinis ſubſidio veniret Sfortia, periclitari deliberavit. Convenerat noſtrorum exercitus ad Anglarium oppidum, quod ad Apennini radices poſitum duodecim millibus paſſuum a Tipherno, prope quod erant hoſtium caſtra, diſtat. Hunc inopinantem aggredi ſe poſſe Picininius ſperabat, praeſertim cum ab exploratoribus certior factus fuiſſet, poſt meridiem milites inermes aut ſub pellibus deſidere, aut longius a caſtris digredi ad conquirenda militiae & aeſtus ſolatia. Itaque cum expeditis copiis in eum locum citatim contendit; ſed ubi Michael Attendolus, qui praeerat Sfortianis, cujuſque maxima erat vigilantia, & rei omnis militaris peritia, a ſummis caſtris ſubitum excitari pulverem proſpexit, ſuſpicatus quod erat, omnes ad arma vocavit. Acies tripartito diſpoſita eſt, prima juxta Tyberis ripam, ut late-

ra hoſtium feriret, ſecunda ad pontem, ut venientes exciperet, tertia dextrorſum in aſcenſu collis, ut aut victis, aut ſubmotis ſubſidio veniret. Sfortiani, qui erant in fronte, paullulum cedere coacti fuere, tantus fuit impetus hoſtium. Captus ab his fuit Nicolaus Piſanus, & parum abfuit quin Attendolus ipſe caperetur. Superato ponte, anguſtias invenerunt, quas foſſae, aggeres, & collis ipſe faciebant, cumque nec facile moveri, nec feſſis recentes ſuccurrere poſſent, & undique a noſtris, quibus apertae erant viae, premerentur, regredi ultra pontem coacti fuere. Ancipti praelio diu & acriter ibi pugnatum eſt. Sed cum diutius feſſi laboribus, aeſtu & itinere noſtrorum impetum ſuſtinere non potuiſſent, & illud quoque iis acceſſiſſet incommodum, ut ſubito magnus exortus ventus pulvere obcaecaret dimicantium oculos, fugae ſe ſe dederunt. Toto hoc praelio, quo ab hora quarta uſque ad octavam pugnatum est, multa Piciniinius edidit exempla virtutis, ſed in eo peccaſſe videtur, quod fatigatos duodecies mille paſſuum itinere milites acre certamen conſerere coegit. Ipſe, aegre mille equitibus collectis, ad Burgum S. Sepulcri confugit. A nostris LX milites occiſi, CCCC vulnerati, plurimique tum equites, tum pedites capti fuerunt. In his Astorres Manfredius, Ludovicus Parmenſis, Romanus Cremonenſis, Sacramorus Vicecomes, Daneſus & Antonellus a Turre, qui duces erant & praefecti cohortium. Fugerunt alii, cum adjuvarentur

ab ipſis victoribus, qui tum facile parcebant hoſtium vitae, ut ſuam ſervarent. Si valuiſſet ſapiens conſilium Nerei Capponii & Bernardi Medicei, qui ductores erant Florentinarum copiarum, & ipſius Michaelis Attendoli (74), victores in reliquias exercitus Piciniuii invasissent, omnemque ei poteſtatem tranſeundi in Aemiliam facile ademissent, ubi tuto aliquandiu eſſe potuit, & nova moliri, quae ipſis ſollicitudinem attulerunt. Sed perpauci tum erant, qui victoria uti ſcirent, & quae parta fuit apud Anglarium die SS. Apoſtolorum Petri & Paulli feſto, magna laetitia populum Florentinum complevit, non ſecus ac ſi ex crudeli incendio Etruria liberata, & manus illa Picininia, in caede noſtrorum jam ſaepe victrix, plane deleta fuiſſet. Ea propter ſupplicationes decretae, munera templis oblata, vota ſoluta, & donati ampliſſimis praemiis fuerunt, qui victoriae ipſius auctores fuiſſe putabantur, inter quos Legatus Pontificis Ludovicus Scarampius Patavinus, Cardinalis & Archiepiſcopus Florentiae, poſtulante Coſmo, creatus eſt. Qui de his rebus ſcripſerunt, ajunt temerarium conſilium cepiſſe Picininium adoriendi exercitum loci natura munitum, cum tam valeat nihil in praeliis, quam loci opportunitas: addunt, ipſum etiam in eo erraſſe, quod iter ad Caſentinum ſuſcepiſſet; nam ſi in Pratenſi, aut Piſtorienſi agro ſubſedisset, plurimum ſane vexaſſet Florentinos, qui in maxima caritate annonae inde magnam commeatuum partem petebant.

Coſmus, poſtquam liberata patria Picininii metu fuit, egit cum ſuis de puniendis iis, qui fidem Reipublicae deſeruerant, et cum hoste tam nefario conjuraverant. Ea propter Anfrosina a Montedolio, quae uxor fuerat Bartholomaei a Petramala, ſpoliata fuit Monterchio, Valialla & Monteagutello (haec caſtellis nomina) eaque ad imperium Reipublicae adjecta. Severius etiam actum cum Franciſco Guidio, Puppii Comite, qui perduellionis reus factus, poſtquam vi, ferro, fame omnique metu domi obſeſſus fuit, tandem exulare cum liberis ab ea regione, quam majores ejus tenuerant poſt quadrigentesimum, quam in Italiam cum primo Othone (ut ferunt) venerant, annum coactus fuit (75). Genus illi perantiquum ac nobile, quod multi praeclari viri, praeſertim quando in univerſo Caſentino & in valle Arni ſuperiore dominabantur, illuſtrius fecerant, dignitas atque opes ſatis amplae; ſed virum nimis fortunae blanditiis fretum majorum rerum cupiditas praecipitem egit, qui dum aliena concupivit, ſuis omnibus amiſſis, patria extorris inopia conſenuit, poſteris futurus documento, fidem cunctis, ſed praeſertim potentibus, & in rectis conſiliis conſtantiam ſervandam. Nova etiam lata ſententia fuit adverſus exules Florentinos, qui Picininii partes ſecuti fuerant, ut omnis illis ſpes reditionis in patriam auferretur (76). Haec res maxime offendit Rainaldi Albitii animum, qui odium implacabile, quod in Co-

Digitized by Google

ſmum habebat, ſaturare cupiebat, tantaque iracundia commotus ille fuisse dicitur, ut Anconae, dum coenabat, ſubitam mortem obierit. Laetitiam, quam cepit Coſmus ex tot rebus bene ac feliciter geſtis, plurimum minuit Laurentii fratris mors, quae accidit Kal. Octobris an. MCCCCXL. Amaverat carumque ſemper habuerat virum ſibi fideliſſimum, omniumque conſiliorum, fortunarum periculorumque ſocium, qui cum ex Junipera Cavalcantia unicum ſuſcepiſſet filium (huic Petri Franciſci nomen, ex quo ferus ille Etruriae regnator Coſmus I. originem duxit) eum fratri in tutelam commendavit. Nullius fortaſſe privati hominis exequiae, ac Laurentii, majori pompa cohoneſtatae fuerunt. Proſecuti ſunt funus non magiſtratus modo civitatis cum populi vexillis, ſed et externorum Principum legati, magna pars aulae Pontificis ejuſque fratrum filii. Novem uſque Cardinales, multi Epiſcopi, omnis praeterea flos nobilitatis poſtridie in Baſilicam S. Laurentii omni apparatu ornatam convenere, & mortui laudes Latina oratione celebravit Poggius Bracciolinius, cui maximam eloquendi vim omnes tum concedebant. Si Philephum audis non tam corporis (77) quam animi in Laurentio erat deformitas, & inſatiabilis alienorum appetitio; & homo impotentiſſimus ardenſque odio non minus ei, quam Coſmo dat crimini, quod omnia Florentinorum vectigalia parvo pretio redempta haberent, propterea quod illis licentibus con-

Digitized by Google

tra liceri auderet nemo; & his rebus non modo, ſed & graviſſimis uſuris, & damnatorum poenis facultates maximas tum ad largiendum, tum ad obſtringendos aere alieno amicos ſibi comparaſſe ait, omnia demum honeſta neglexiſſe, dummodo potentiam conſequerentur. Verum, qui ſine ira & ſine invidia judicabant, probum virum fuiſſe Laurentium, ſatis eruditum, ad largiendum ex fructibus ſua induſtria partis propenſum, prudentem & gravem, & in obeundis patriae muneribus experientiſſimum & diligentiſſimum affirmarunt (78). Magnum ſane detrimentum ex illius interitu cepit Coſmus, quoniam in eam fortunam devenerat, ut in adminiſtrandis ſuis & publicis rebus fidelibus adjutoribus indigeret. Quam neceſſitatem reſpicienti dolendum etiam fuit ob mortem, quae anno ante acciderat, Ambroſii Traverſarii Camaldulenſis Monachi, quem fraterne ſemper dilexerat, cujuſque prudentia, fide ac religione ſaepe in conſilio capiendo uſus fuerat. Interdum etiam ab eo quaerebat oblectationem animi & curarum levamen, quaſi mercedem amoris exigens aut ſermones, aut epiſtolas plenas litteratae ſenectutis, aut ſcripta, quae ad inſtituendos homines profutura ſperabat. Ex his commemorandas putamus interpretationes cum vitarum, quas Graecus homo Diogenes Laertius expoſuit Graecorum philoſophorum, tum ſermonum S. Ephraim Syri, non tam propter praestantiam utilitatemque operis, quam

Digitized by Google

propter laudes, quas, dum illas Coſmo nuncupavit, eidem tanquam litterarum omniumque nobiliſſimarum artium patrono munificentiſſimo impertivit. Sed fortasse nos quaeſita ab aliis laude minime indigere judicabimur, cum ſuis virtutibus ſuiſque glorioſis factis magnum fuisse virum Coſmum videamus.

Hic quamvis Etruria liberata fuiſſet armorum metu, non quieſcendum tamen putavit, quod Picininius Mediolanum regreſſus magnam armatorum vim ad nocendum collegerat. Egit itaque vehementer, ut delectus haberentur, uti ex cenſu locupletum nova tributa exigerentur, ut ſocii & amici eſſent Malateſtae, & ut ſtipendia darentur militibus Pontificis, qui in ſumma erat anguſtia pecuniae. Propter hanc ipſe vendenda cenſuit Nicolao Ateſtino Ferrariae Marchioni Bagnacavalli & Maſſae Lombardae oppida, ut et Florentinis viginti quinque mille florenorum pretio Burgum S. Sepulcri conceſſit. Solvit hanc pecuniam Coſmus ex ſuo aerario Reipublicae nomine, quod negotium a ſe perfectum fuiſſe vehementiſſime laetatus eſt, quia & ſibi honori & Reipublicae magno emolumento futurum minime dubitabat (79). Vigilans & acutus gubernator omnes captabat occaſiones, quibus Florentinorum imperium augeret, neque multo poſt Porciani (80), Dovadulae (81) aliorumque minorum oppidorum dominatum occupavit. Magnum audaxque conſilium ſuſceperat Tiphernum

ha-

Digitized by Google

habendi, ſed in hoc minime ei favit fortuna. Subſidio veniebat omnibus, qui illud requirebant, habuitque aliquando in poteſtate arces, quae Aſſiſio impendent, quaſi pignora pecuniae, quam ipſi Eugenio Pontifici mutuam dederat (82). Omnino videri volebat tantas eſſe ſuas facultates, tantam auctoritatem, ut merito ad eum legationes concurrerent, ejus gratiam atque amicitiam publice privatimque expetentes. Non dubito autem, quin ad opinionem, quam de eo omnes habebant, augendam praeter poteſtatem ſummam, quae ei a libera civitate permittebatur, plurimum valuerit Franciſci Sfortiae amicitia. Huic ſumma tribuerat Reſpublica Florentina, & ut gratus erga praecipuum auctorem fortunae ſuae cognoſceretur, omnia ex voluntate Coſmi facere videbatur. Iſthaec ſtudiorum & conſiliorum conſenſio quo eruptura eſſet fortaſſe praevidebant Veneti, eaque propter pacem cum Philippo Vicecomite eſſe nolebant. Sed hic defeſſus tot bellis, periculis, quae impendebant, perterrefactus, & irritatus quibusdam Picininii aliorumque Ducum intolerabilibus poſtulatis, Sfortiam, cui omnia proſpere in Ciſalpina Gallia eveniebant, paterni juris defenſorem, & quaſi proprii patrimonii propugnatorem concupivit. Miſit itaque ad eum ſecreto Antonium Guidobonium Derthonenſem, cui ſummam rerum omnium fidem habebat, iſque nocte intempeſta introductus in tentorium Ducis hunc hortatur, ne opibus ac nervis ad com-

Digitized by Google

munem perniciem utatur, Philippum ei in matrimonium filiam ſuam, & dotis nomine Cremonam, & maximam partem Cremonenſis agri & Pontremolum daturum affirmat, quae Picininius, Sanſeverinas, Vermius, Talianus inſolentiſſime peterent oſtendit, quae Philippus intelligeret proponit, ac monet, ut in reliquum tempus omnes ſuſpiciones vitet, & omnia ſibi a ſoceri voluntate polliceatur, qui eum pacis arbitrum ſtatuebat. Hujus orationi ita reſpondit Franciſcus, ut ſe propenſum ad ignoſcendum & ad pacem faciendam oſtenderit. Quapropter a Philippo Euſebius Caimus mittitur, qui quae propoſuerat Guidobonius, ſcripto ac jurejurando firmaret. His nocte confectis in caſtris, quae poſita erant ad Martinengum, cum poſtero mane multi ſalutatum Ducem, ut fit, veniſſent, ad Maripetrum Venetorum legatum alioſque converſus Sfortia, ſubridens inquit: *pacem nuncio vobis, viri clariſſimi: nulla de bello & armis mentio amplius futura eſt: paci & otio unice conſulendum.* Hic nuncius, ut res nova & minime exſpectata, omnes ſtupore complevit, quaerebantque inter ſe unde tam ſubita in Sfortia facta fuiſſet voluntatis commutatio. Secutum inde Imperatoris edictum, ut ab armis milites & ab injuria abſtinerent, quod idem Philippi legatus Picininio aliiſque ducibus praecepit. Haud potuit occultare dolorem ſuum Picininius, & dum Martinengo in Laudenſem agrum copias ſuas ducebat, multa de fortuna & Philippo que-

ſtus dicitur, quod ſe claudum, ſenem, atque inopem perdidiſſent. Sfortia, relictis caſtris, Venetias conceſsit, perſonam arbitri & amici geſturus. Honores, qui ei tributi fuerunt, Regi magis, quam Duci convenire dixiſſes, & quoniam conſilio non multum uti licebat, omnes & factum & virtutem & fortunam ejus laudarunt, & latas ab eodem pacis conditiones ratas habuerunt. Communi animo atque conſilio has quoque confirmarunt Florentini, & legatos ad Sfortiam miſerunt Angelum Acciajolium atque Nereum Capponium, qui ei de ſuo ſtatu gratularentur, & gratias agerent, quod caverit, ut ſibi redderentur Mutilum, Oriolum, & Montesaccus, dum viciſſim redderent Aſtorri Manfredio Faventinorum Domino Fovazanum & Calvanellum, quae oppida in Aemiliae provincia poſita ſunt. Sed majoris momenti ceterae pacis leges fuerunt. Decretum enim eſt, ut Philippo in Brixienſem & Bergomenſem agros nullum jus eſſet, ſed illud Veneti obtinerent: Cremona cum ſuo agro dotalis Franciſco concederetur: Romanengium cum omnis Abduanae terrae oppidis Veneti Philippo redderent: Piscariam ipſi Lunatumque retinerent: reliqua, quae intra Matuanae provinciae fines eſſent, Gonzaga reciperet, ita tamen, ut ipſe, praeſidio educto, Leniacum cum portu Venetis cederet: Ripam, Turbulas ac Penetram, quae loca jure belli ſua Venetus feciſſet, haberet: haberet & Ravennam; & Eugenius poſt biennium a

Digitized by Google

Picininio Bononiam recuperaret: Quanquam Principum legati, qui convenerunt Cremonam, ubi nuptias plenas dignitatis & laetitiae celebravit Sfortia, uno ore omnes de iis conditionibus conſenſerint, Eugenius tamen Pontifex ſe illa minime accepturum declaravit, quod iis ſacra Romanae Eccleſiae jura violarentur; & illud quoque vetus ſuum in Franciſcum odium inflammaſſe dicitur, quod audierat ſecreto pactos fuiſſe Sfortiam ipſum & Picininium, ut quae in Pontificia ditione jam poſſidebant, & quae in poſterum acquiſiviſſent, mutuis auxiliis, quaſi optimo jure parta defenderent. Ne unius diſſenſione utilis Sfortiae & Reipublicae Florentinae pax turbaretur magnopere ſane Coſmo laborandum fuit, qui ita rem egit cum Eugenio, ut ejus auctoritas & conſilium magno eſſe momento apud ipſum eſſe videretur.

Nae cum dolorem, quem a Republica capiebat Pontifex, conſolabantur Coſmi amicitia, Florentinorum artes, quibus ſtudebant diu apud ſe illum retinere, quod ſane ipſis & utile & glorioſum erat, & legationes eorum, qui Graecorum exemplum ſecuti cum Romana Catholica Eccleſia fide & caritate jungi poſtulabant. Ceteros inter cum magno comitatu venerunt a Cyriaco Aethiopiae Rege legati, qui quamvis multa & magnifica jactarent, ut ſumma amplitudine digni putarentur, ſummisse tamen ſupplicarunt Pontifici, ut ſe ſuoſque in fidem Romanae Catholicae Eccleſiae re-

Digitized by Google

ciperet (83). Quae ille praeſcribebat ſancta, auguſta & religioſa erant, paterna caritate complectebatur omnes, qui ad ſe confugiebant, ac monitis praeceptiſque ſapientiſſimis in recta voluntate confirmabat; ſed ſpei & ſtudio eventus rerum minime reſponderunt. Nam perfidia nocentium iterum diſtracti animi Romani Pontificis auctoritatem abjecerunt, & illam Orientalis & Occidentalis Eccleſiae conglutinatam concordiam disjunxerunt. Sed non minori curae eſſe videbatur Eugenio quemadmodum Chriſtianae Reipublicae rebus conſuleret, quam quemadmodum inimicorum ſuorum injurias perſequeretur. Quanquam, ut diximus, auctore Coſmo, quaedam pacis conditiones inter illum & Sfortiam convenerint, quia tamen nihil tam optabat, quam ut recuperaret Picenum, quod in ditionem ſuam redegerat Sfortia ipſe, & facile ad mutationem conſilii impellebatur, illud ſperabat ac moliebatur, ut cauſſa novi belli oriretur. Hanc dedit Renatus Andegavenſis, qui, recuperata libertate a Burgundiae Duce, a quo in praelio captus fuerat, cum in Neapolitanum regnum veniſſet, hoc ſpoliare Alphonſum Aragonenſem conabatur. Multis praeliis cum illo infeliciſſime dimicavit, & quia in amicitia Sfortiae illius ambitio non mediocriter nitebatur, hunc vehementiſſime rogavit, ut quoniam omnia quieta erant in Ciſalpina Gallia, ad ſe ſe cum ſuis copiis ſine mora veniret, ut ſua jura tenere, et communis hoſtis injurias (nam

& Sfortia ipſe privatus fuerat illis urbibus & oppidis, quae in Neapolitano regno ex paterna hereditate poſſederat) ulciſci poſſent. Id haud occultari potuit Alphonſo, qui cautus erat in periculis, & fortis in contentionibus, quare litteras dedit ad Mediolani Ducem, quibus ab eo pro jure amicitiae ſuae petebat, ut generum in Ciſalpina Gallia retineret, dum ipſe rationibus ſuis plane proſpexiſſet. Vir ille ſuſpicioſiſſimus, qui ſemper exiſtimabat aliquid ab amico eſſe violatum, & pacis inimiciſſimus, facile in eam mentem inductus eſt, ut eodem tempore Sfortiam & generum & hoſtem videret. Itaque & nunciis, & litteris, & cohortationibus Pontificem ad recuperandum Picenum inflammavit, seque ejus cauſſae tum pecunia, tum militibus non defuturum pollicitus eſt. Tantos ſibi ſpiritus ſumpſit Eugenius, ut rejectis pacificis Coſmi conſiliis, egerit cum Picininio de trajiciendis ejus copiis ex Bononienſi in Peruſinum agrum, quo propius Sfortiae, qui in Piceno commorabatur, moleſtae eſſent. De occupando etiam Fulgineo, in quo dominabatur Curradus Trincius, qui cum Sfortianis propinquitatis vinculis conjungebatur (ejus enim filia nupta erat Leoni Franciſci Fratri) deliberavit, & fruſtra laborem ſuſcepit Coſmus tum ſua ſponte, tum magnis Franciſci aliorumque precibus excitatus (84), ut illum ab hoc conſilio deterreret. Addebant Pontifici animum victoriae Alphonſi, qui, capta Neapoli, nullum reliquiſſe locum

Digitized by Google

videbatur Renato, ubi tuto poſſet conſiſtere. Venit hic Florentiam, ſperans poſſe ſe placare Pontificis iram. Optime ac liberalissime egerunt cum eo Florentini, qui ei & victum quotidianum ſic praebuerunt, ut Regi non afflicta, ſed florenti fortuna (85). Verum quanta in iis comitas, tanta in Pontifice duritas fuit, & cum ſumma esset omnium rerum amissio & deſperatio recuperandi, Rex Liburni conſcenſa Genuensi navi, in Provinciam rediit. Jam Picininius Tudertum, Belfortem, Sernanum & Montemfortinum ceperat, & quando pugnam commissurus esse videbatur cum Sfortia, qui in ejus caſtra cum exercitus vi invadere deliberaverat, ecce litterae a Bernardo Mediceo, qui nunciabat ſe effeciſſe, ut hi Duces ab armis diſcederent, & complexu et oſculatione pacem renovarent. Ficte ac ſimulate quidem. Nam paullo poſt Picininius Tolentinum cepit, inde rurſus in concordiam reducitur, mox ad arma rediit, expugnatis Assisio & Gualdo, ut ſuperbe illudere velle Sfortiam videretur. In tanta hominum perfidia & iniquitate ita ſe gessit Coſmus, ut aut concordiam in Italia conſtitueret, qua nihil utilius videbatur, aut Rempublicam ſumma cum dignitate defenderet, cujus fortunam, beneficiis, quos poterat, ſibi conciliando, adjuvabat. Jam Eugenius Pontifex declaraverat velle ſe Florentia abire, quod cum aegre ferret Coſmus, nulla non arte, prece atque officio de illo retinendo laboravit. Verebatur

enim, ne ille abſens facilius circumveniretur ad conſtituendam cum Alphonſo Aragonio amicitiam, parandamque Sfortiae ruinam. Sed quae dixit, ut probaret nullum ei magis tutum locum fore, quam in Etruria, et vanam fore ſpem, quam in Alphonſo poſuiſſet, nihil tetigerunt Eugenium, qui ineunte an. MCCCCXXXXIII. a Florentinis diſceſſit, auxilia ab iis imploraturus, quorum opes et gratia valuiſſent ad vindicandos Pontificiorum bonorum uſurpatores.

Superbiens Alphonsus florentiſſimi regni poſſeſſione, nihil tam optabat, quam ut in ſuum locum, tanquam heres aliquando ſuccedere posset ejus filius Ferdinandus, in quo mirifica indoles virtutis apparebat. Genuerat ipſum ex concubina, quae res ne ejus consiliis officeret, delinire omnibus modis optimatum, & magiſtratuum animos ſtuduit. At neceſſe erat quae ipsi ſtatuissent, firma ac rata eſſe Romani Pontificis auctoritate et conſensione, apud quem ſummum illius regni imperium esse minime ambigebatur. Itaque poſtquam hac de re fruſtra egerat ſaepius cum Felice v., reconciliare sibi multis de cauſſis infenſum Eugenii animum, fovere ejus desiderium de recuperando Piceno, eique de ſuis ſtudiis atque opibus prolixe polliceri (86). Harum rerum ad fidem faciendam Piciniuium Anxurem venire juſſit, ut cum eo de ratione belli administrandi deliberaret. Hominem non generis nobilitate, ſed audacia et virtute clarum accepit

cepit honorificentiſſime, & in nomen familiae ſuae adſcivit. Confirmavit illi ſe prima aestate in Picenum cum exercitu venturum; direptor ille interea & vexator eſſet Provinciae, & viam victoriae ſterneret. Videns Sfortia quanta ſibi impenderet tempeſtas, Venetos & Florentinos ad auxilium ſibi ferendum ſollicitavit. Suſpenſum autem habebat Coſmum cogitatio tum officii erga veterem & fidelem amicum, tum periculi Reipublicae, ſi ſe hujuſmodi bello miſcuiſſet. Sed dum pendebat animi, ſubveniendum fuit Bononienſibus, qui, duce Hannibale Bentivolo, comprehenderant Franciſcum Piciniaium, qui patris nomine regie, ſeu potius tyrannice, iis dominabatur, ſeque in libertatem vindicaverant. Auxilia Florentinorum & Venetorum liberarunt periculo Bononienſes, quod iis conflabatur ab armis Mediolanenſium Ducis, & tum apparuit non quieturas foederatas Reſpublicas in Sfortiae ſociorumque diſcrimine. Jam de adventu Regis fama perferrebatur; & quamvis Sfortia ſecundis aliquot praeliis virtutem Picininii ſuperaſſet, ſe parem tamen eſſe non poſſe intelligebat maximo exercitui, ſuperbissimo delectu conquiſito, & multis victoriis & ipſius Regis praeſentia elato. Poſtquam ille metuere coepit, & multa jam loca Piceni amiſerat, & confugere Fanum Fortunae apud Sigſmundum Malateſtam generum ſuum coactus fuerat, multum de odio ſuo dimiſit Philippus, mox odium in commiſerationem

convertit (nihil enim illo erat mobilius) & prece humili ab Alphonſo petere, ut parceret genero, parceret filiae, in quorum fortuna aetas ſua jam ingraveſcens maxime conquieſcere debebat. Principio Alphonſus fidem datam Pontifici objecit, mox ſe vinci paſſus eſt, & ad ſuos cum exercitu rediit. Supererat Picininius, ſed ejus virtus conſenuiſſe videbatur; quapropter cum pugnam paullo poſt diſceſſum Regis ad Montelorum, quod oppidum eſt in agro Piſaurenſi, commiſiſſet, turpiſſime a Sfortiae & foederatorum copiis victus eſt. Tum Sfortia non ſolum amiſſa in Piceno recuperavit, ſed & aliis civitatibus, quae erant in ditione Pontificis, potitus eſt. Profecto niſi exercitum mittere in hiberna coactus fuiſſet, hujus belli reliquias oppreſſiſſet. Sed renovatum illud fuit primo vere inſequentis anni. Nam cum Picininius, homo ſane inſtaurandis reparandiſque bellis natus, ſubſidiis Alphonſi Regis & Pontificis magnum iterum collegiſſet exercitum, hujus imperium dedit Franciſco Filio, cujus virtuti magnopere confidebat. Sed hic quoque a Sfortia victus eſt (87), qui dum omnia militis & ducis officia in pugna ſane acerrima exequebatur, propius nihil eſt factum, quam ut occideretur. In maximo captivorum numero fuit Pontificis Legatus, qui agnitus a Sfortianis, multis oneratus fuit injuriis. Tum Coſmus, qui nulla in re defuerat Sfortiae, dum bellum gerebatur, quo facilius in victoriae

poſſeſſione confirmaretur, conſilium eidem plenum prudentiae & fidelitatis dedit, ut pacem cum Pontifice faceret. Scripſit & ad hunc, quae ſaluti ejus conducere arbitrabatur, & quae non aliena eſſe putabat ab illius dignitate. Verum nihil tam movit Pontificis animum, quam Nicolai Picininii mors, qui utrum dolore atque iracundia, quod proſpere omnia procederent Sfortiae, quodque ipſe fruſtra tot belli labores ſuſtinuerit ob fraudes & fallacias Philippi Ducis, an veneno ſublatus fuerit, adhuc ambigitur. In pace, quae Peruſiae conciliata eſt exeunte an. MCCCCXXXXIV. Sfortia magnam Piceni partem ſibi pactus eſt, quodque erant quaedam aliae conditiones, de quibus inter ſe Eugenii & Sfortiae legati minime convenerant, communi conſenſu deliberarunt, ut in hanc rem arbitri eſſent tres Cardinales, Coſmus & Nereus Capponius, quorum prudentia & aequitate omnis ſublata fuit diſcordia (88). Eodem tempore Florentini foedus cum Venetis ad decennium confirmarunt, & in fidem ſuam receperunt Fridericum Feltrium magnum porro virum, qui omni prudentiae genere praeſtitit, quique in Urbiniani Comitatus poſſeſſionem tum venerat.

Ceterum nequaquam ex rebus foris feliciter geſtis tantum gaudium fuit, quantus dolor Coſmo, quod domi pullularent iterum odia & diſcordiae invidorum, qui ajebant ipſum minime habere reſpectum ad magiſtratus & ad bonos, eamque ſibi viam patefacere ad

opes ſuas amplificandas, atque exercendam potentiam, quam virtus liberi populi ferre non poſſet. Omnes hi aut vinculis, aut exilio, aut privatione publicorum munerum poenas Reipublicae dependerunt, & ne deeſſet materia in ſuſpectos ſaeviendi, in occulto gliſcentia per indicium protracta fuerunt facinora. Ne vero timor in futurum eſſet, plurimum minutus fuit numerus eorum, qui adminiſtraturi eſſent Rempublicam, & ut urbi ac Coſmo a bonis ſatis eſſet praeſidii conſultum ac proviſum eſt. Qui huic proximus dignitate poteſtateque erat Nereus Capponius, quamvis interdum in alia voluntate eſſet, omnia tamen facta Coſmi & probare & laudare videbatur, reminiſcens caſus multorum, quibus fatale fuerat odio atque diſſidio ab ipſo diffidere. Fuit vero Coſmus non veris tantum virtutibus mirabilis, ſed arte quoque quadam ab juventa in oſtentationem compoſitus, ut jam inde ab initio praeparaverit animos ad potestatem & dominatum omnium rerum ſibi concedendum. Quia vero felicitas rerum geſtarum populi benevolentiam rectoribus Rerumpublicarum, ut res adverſae odia, conciliant, omnia ſe Coſmo debere populus Florentinus judicabat, ut ſi quid irati de illo gravius ſentirent, illi adverſus Rempublicam facere viderentur. Tantum ſtudium aequabat ejus diligentia & vigilantia in procurandis populi ipſius negotiis, qui quidem nunquam majores res geſſit, nunquam majori gloria, po-

tentia atque auctoritate fuiſſe videtur, quam Coſmo Rempublicam gubernante.

His temporibus magnopere de potentatu inter ſe Bononiae contendebant Cannetolorum & Bentivolorum familiae, cum principes eſſent illius quidem Baptiſta, hujus Hannibal. Sequebatur hic gratiam Florentinorum, ille Mediolanenſium Ducis, & cum eo egit de occidendo Hannibale, eidemque tradenda civitate. Mortem quidem aemulo intulit (89), quo audito, magnus totius populi motus factus eſt, addebantque huic animum Florentinorum & Venetorum Legati, qui Bononiae commorabantur. Antequam Cannetolis ſubſidio venire potuerint Mediolanenſes, ii caeſi fugatique fuerunt, & occiſus quoque fuit eorum Dux, poſtquam in ſepulcro aliquot dies latuerat. Nae Bononienſes quidem magno deſiderio tenebantur, ut aliquis Bentivolorum Hannibali propinquitate conjunctus exiſteret, qui gubernacula civitatis prehenderet. Hunc eſſe in Etruria affirmavit Franciſcus Guidius, narrans Herculem Bentivolum Hannibalis patruelem, dum erat Puppii apud ſe ſe, filium nomine Sanctem viginti annos ante ex adoleſcentula Caſceſii cujuſdam uxore genuiſſe, huncque facie & moribus patri ſimillimum eſſe. Hac re audita, confeſtim ad Coſmum & Nereum Capponium miſſi homines fuerunt, qui eos rogarent, ut quid verum esset cognoſcerent, & in voluntate ſocios et vicinos adjuvandi permanerent. Co-

Digitized by Google

ſmus ex Caſentino ad ſe adoleſcentem accerſit, eique quae vellent Bononienſes, quae ſperare, quae timere deberet oſtendit. Poſtremo admonuit, ut ſe ipſum perſpiceret, totumque tentaret, & ſi animum Bentivolis dignum gereret, qui teſtis foret generoſae ſtirpis, Bononiam quanto citius proficiſceretur; ſi vero nihil eſſet in eo niſi imbelle atque timidum, haud dubitaret ſe humili ortum esse parente, & vitam in ignoratione hominum, et in humili aliqua arte exercenda degere. His verbis, qui nullius animi eſſe principio viſus eſt, adeo commotus dicitur, ut nullum periculum ſe recuſaturum, omniaque ſe velle, quae Coſmo atque Nereo libuiſſent, affirmaverit. Hi quaſi nobiliſſimum Bentivolorum nomen illi reſtituiſſent, ne ad contumeliam honorem dediſſe viderentur, ornatu comitatuque plus quam privatum hominem deceat, ad Bononienſes ſuos eumdem ire juſſerunt. Adventus ejus plenus laetitiae fuit, ejus vero vita plena decoris, ac fidei pietatiſque erga auctores fortunae ſuae (90), et raro Bentivolis exemplo, lucis uſuram ipſi natura, non vis inimicorum eripuit. Porro maxima ſemper Cosmum cura tetigit Bononiensium propter vicinitatem urbis, & quia maxime intererat Reipublicae, ne oppreſſione eorum libertatis inimicorum, aut aemulorum nimium augeretur potentia, & quae illam ſequitur audacia. Egit quoque cum Eugenio Pontifice, ne pro juribus Sedis Apoſtolicae in illam

urbem gravius aliquid conſtitueret, & annuo tributo contentus eſſe vellet, neque illo admodum magno, quod ob civiles diſcordias (91) agricultura deſerta fuerat, & mercatorum induſtria omnino conquieverat. Tanta vis erat malorum, ut homines quidvis perpeti, quam non ſolari praeſentem calamitatem ſpe libertatis mallent, cujus deſiderium vel ipſa ſtudia Florentinorum et Venetorum augebant. Eodem tempore fidem etiam Florentinorum obteſtatus eſt Genuenſium Dux, ſecreto ad Coſmum misso fideli homine Joanne Caleſchio. Verebatur enim ne novae calamitates importarentur a Mediolanenſium Duce, cujus fides (et promiſſa quidem fuit Genuenſibus libertas in conditionibus pacis, quae per Sfortiam paullo ante facta fuerat) facile in perfidiam convertebatur.

Hic fallax et inſidioſus homo quaerebat jam caussam, quae impelleret Pontificem ad renovandum bellum cum Sfortia. Commemorat hunc in acerbiſſimum odium venisse Sigiſmundo Malateſtae, quod fautor et adjutor fuerat Friderici Feltrii, ipſius impetus, importunitatem, direptiones bonorum, quae juris Romanae Eccleſiae essent, redarguit, offert ſe, et pollicetur non ſua modo, ſed et Alphonſi Regis ſubſidia, ſi expellere e Piceno ſacrilegum uſurpatorem voluisset. His artibus inſtauratum eſt bellum, ejuſque caussa ſemel atque iterum Sfortia Florentiam venit conſulturus Coſmum de ſuis rebus, et ſubſidia pecu-

niae a Republica imploraturus, ſine quibus reſiſtere tantis hoſtibus minime potuiſſet. Auri argentique reconditas venas in ſinu Reipublicae dixiſſes, tam facile ipſa habebat, quo amicorum ſaluti communibuſque fortunis ſuccurreret. Tum ſigna Pontifex irati Florentinis animi dedit, eo uſque ut a Romanis violata dignitas fuerit Bernardi Medicei, qui legatus mittebatur tum ad Pontificem ipſum, tum ad Neapolitanorum regem ad deprecandam pacem (92). Quanquam Florentini cum Sfortiae hoſtibus haud aperte bellum gererent, attamen & ſibi quoque impendentem procellam timere debuerunt. Venerat enim ad occupandum Pontremulum Aloyſius Vermius, qui caſtra poſuerat inter Fornovum & Caleſtanum, & venire quoque cum magna equitum manu nunciabatur Bartholomaeus Coleonius, nobiliſſimus ſane Dux, ut multa in re militari partim nova attulerit, partim meliora fecerit. Tota etiam Ciſalpina Gallia bello ardebat, & Franciſcus Picininius ſtudio inflammato ad occupandas Cremonam & Bononiam rapiebatur. Tum Florentini exiſtimantes non tantum ad fidem ſuam, ſed etiam ad ſalutem ſociorum pertinere, communi animo conſilioque rem gerere, quam maximas potuerunt copias contraxerunt, quarum imperium Guidoni Antonio Manfredio & Simonettae dederunt. Cum vero a Coſmo quaereret Sfortia, quid ipſe maxime tentare deberet, dedit ei plenum animi conſilium,

lium, ut inopinantem Pontificem in ipſa urbe Roma aggrederetur. Quod hoc fieri ſine dimicatione perniciosa non posse Sfortia animadvertit, multa praeclara tum in Piceno, tum in Aemilia geſſit, vel quando in ſummas anguſtias adductus eſſe putabatur. Deſenderunt & Florentini Pontremulum ab inimicis, & Venetorum ceterorumque foederatorum arma inſignem victoriam in Cremonenſi agro reportarunt (93). Tum omnia Venetorum conſilia ad occupandam Mediolanenſem provinciam ſpectare coeperunt, cujus periculo ſic Philippus perturbatus eſt, ut vix judicari poſſet, utrum ſecundis nimiiſque rebus inſolentior, an adverſis mediocribuſque timidior eſſet. Nec ſolum ille perterritus, ſed etiam Alphonſus Rex, qui ſe tutum non fore in ſuo regno intelligebat, quoties ad Venetorum imperium tam nobilis Provincia adjungeretur. Placare itaque odia Sfortiae ſtuduerunt, qui & uxoris precibus & fletu excitatus fuiſſe dicitur, ut ſocero aetate decrepito & caeco ſubveniret (94). Cujus licet tanta eſſet inquitas, ut in ejus pernicie ſita bonorum ſecuritas & Italiae tranquillitas eſſe videretur, ſibi tamen utile fore, & e Republica Florentina eſſe arbitratus eſt Sfortia non amplius perſequi Philippum bello. Quanquam nunquam antea ipſe in ſuſpicionem infidelitatis Florentinis venerit, hi tamen ita conſulendum praeſentibus rebus judicarunt, ut non liceret ei ſui commodi cauſſa nocere foederatis Rebuspublicis,

O

& ne ipſi ſuis viribus alere cogerentur cupiditatem Venetorum. Vigilandum etiam erat, ne qua Galli Italis adverſa molirentur, cum ad Genuam occupandam aliaque hujuſmodi tentanda invitarentur (95) a Philippo, qui iis jam conceſſerat Aſtam Coloniam, Novum & Gavum. In hoc Italicarum rerum diſcrimine optabat Coſmus aliquem eſſe, qui ſe in pacificationem interponeret, cujus ſpem attulit mors Eugenii Pontificis, quae accidit VII. Kal. Martii an. MCCCCXXXXVII. Ejus in locum paucos poſt dies ſuffectus fuit Nicolai V. nomine Thomas Calandrinius, de quo ſupra mentionem fecimus, qui licet Sergiani parentibus natus eſſet humilibus, ampliſſimo tamen honore dignus habitus eſt propter ſanctitatem morum, animi magnitudinem & praeſtantiam doctrinae. Is biennium Florentiae fuerat apud Pallantem Stroctium, & Rainaldum Albitium, ut eorum filios litteris erudiret; inde vero regreſſus Bononiam, quo antea venerat ſtudiorum cauſſa, tantam de ſe opinionem, ſeu potius admirationem movit Nicolao Albergato ejus civitatis Archiepiſcopo, ut de illo in Cardinalium collegio cooptando cum Eugenio Pontifice egerit vehementiſſime (96). Amavit ſemper Florentinos, & quod ſuo ſibi beneficio illos habere obſtrictos volebat, poſtquam eorum Oratoribus, inter quos erat Petrus Coſmi Filius, quod ante id tempus acciderat nunquam (97), eoſdem honores, quibus magnorum Regum Legati affici ſole-

Digitized by Google

bant, tribuiſſet, large ipsis promisit de ſua voluntate in pace procuranda, et in proſpiciendo Reipublicae rationibus. Ipſi, qui Romam venerant, Oratores adierunt ad Alphonſum Neapolitanorum Regem, qui Tibure tum commorabatur, & cum eo ſic egere, ut ſe cupidos concordiae oſtenderint.

Dum haec res vehementer Ferrariae agitabatur per Cardinalem maxime Morinenſem Pontificis Legatum & Leonellum Ateſtinum ejus civitatis Marchionem, id. Sext. moritur ille turbo et tempeſtas pacis Philippus Vicecomes, & inde additus animus & ſpes Venetis convertendi in ditionem ſuam Mediolanenſem provinciam. Ceperant jam Laudem Pompejam & Placentiam, & armis & caſtris alias tentabant civitates. Metuens Alphonſus, ne dilationem res non pateretur, bellum Florentinis movere deliberavit, quod ſperabat poſſe Venetos abduci a Ciſalpina Gallia, ut foederatis opem ferrent. Itaque iter ad Etruriam direxit cum exercitu, qui conſtabat ex ſeptem millibus equitibus totidemque fere peditibus, & cum totius belli inſtrumentis atque apparatu. Hac re Florentiam nunciata, magnus repente terror omnium animos invaſit, delectus habentur, creantur Decemviri, qui belli curam gerant, quorum & in numero erat Coſmus, & Joannottus Pittius & Bernardus Mediceus legati ad Regem in Monte Politiano conſidentem mittuntur, qui petant atque orent, ut ab armis diſcedat, quod cauſſa

Digitized by Google

nulla erat, quare iraſci Florentinis deberet, qui nihil fecerant, & ne cogitaverant quidem inimicum illi, vel dum in magna perturbatione rerum fortunae & hoſtibus ipſe ſuccumbere debere videbatur. Ad ea reſpondit Alphonſus: *ſe multorum promiſſa, & preces, & ſpem pacis deſeruiſſe, quod videbat nomine pacis bellum involvi a Venetis, qui tantos ſpiritus tantamque arrogantiam ſibi ſumpſerant, ut ferendi amplius non viderentur: periculum eſſe, ne ipſi Italiae domini fierent, quod ſine Florentinorum ſubſidiis nunquam tentare auſi fuiſſent; ipſos materiem praebuiſſe eorum ambitioni, & tantae culpae poenas daturos Deo hominibuſque; ſe vero non ſuam modo, ſed & Italiae univerſae cauſſam agere, quod hoſtis ad eos advenerit, & inſigne documentum Etruriae vaſtationem fore, ne quis fidei Venetae aut ſocietati confidat*. Ferocia haec dicta moverunt maxime Florentinorum animos, & quamvis nonnulli eſſent, qui ſuaderent foedus cum Venetis rumpendum, & pacem cum Rege faciendam, obſtitit tamen eorum ſententiae Coſmus (ſunt, qui tradunt (98) illum principio Regis iracundiam & vires formidantem ſecus judicaſſe) qui pluribus verbis docuit tum ſe minime honeſtum & tutum cenſere vetuſtiſſimam amicitiam, qua una ſtetit res Italica adverſus Philippi Ducis nefarios conatus, diſſociare. Profecto multa erant Florentinis adverſa, Regis potentia atque ira (ajebat enim ſe aut interiturum, aut Florentiam cum

ſuo gubernatore Coſmo everſurum) tot bellis imminutae Reipublicae vires, abſentia Sfortiae, qui cogebatur ſui & Mediolanenſium rationibus conſulere, infidelitas Ducum, quorum nonnulli ad Regem ipſum cum ſuis copiis tranſierant, levitas Senenſium, & inſidiae, quae fiebant a Sigiſmundo Malateſta Arimini domino fortunis Friderici Urbini Comitis, cujus virtuti & viribus noſtri magnopere confidebant. Comparaverat & Rex modicam claſſem ad ſubvehendos commeatus, & ad adoriendum Plumbinum, cujus, qui dominus esset, eum univerſae Etruriae facile potiri posse ajebat. Tot tantiſque difficultatibus afflicti Florentini litteris legationibuſque ſollicitarunt Venetos ad auxilia ferenda (99), ſed ab iis niſi inania verba, & interdum etiam odioſa elicere minime potuerunt, ut nullo cum pudore ingrati animi ſuſpicionem illi ſuſtinere viderentur. Itaque coactis quaerere externa auxilia Coſmus auctor fuit, ut in Provinciam ad Renatum Regem Antonium Pactium legarent, qui eum invitaret ad renovandum bellum cum Alphonso, recuperandumque Neapolitanum Regnum, quod facile potuiſſet, conjunctis ejus & Reipublicae viribus, & ad faciendam rebellionem excitatis Apuliae ceterarumque provinciarum Regulis, quibus intolerandum erat tyrannicum Alphonſi imperium (100). Proponuntur a Renato conditiones quaedam, quarum caput erat, ut Florentini & Veneti magnam partem

militarium ſtipendiorum perſolverent. Fruſtra tempus conteritur in his rebus tractandis, & ſoli Florentini impetus atque incurſiones armorum Alphonſi Regis ſuſtinere coguntur.

Is principio Volaterranum agrum vexavit, captaque Ripomarancia, milites tantam crudelitatem in oppidanos exercuerunt, ut alia oppida metu perterrita deditionem fecerint. Fortiter tamen obſidionem ſuſtinuit Monscaſtellus, & Rex inde movere coactus, iter ad Campiliam direxit, ſperans, ea capta, ſe facile in poteſtatem ſuam Piſanam provinciam redacturum. Quanquam nonnulla parva oppida ceperit, Campilienses tamen ſe fortiſſime defenderunt, hoſteſque ab oppugnatione desiſtere coegerunt. Hanc rem graviter illi tulerunt, quod nimium viribus ſuis fidentes omnia oppida ad reſiſtendum imbecilla fore putabant. Erat hiems ſumma, tempeſtas perfrigida, quare exercitum in hiberna Rex duxit, poſitis caſtris in colle, qui imminet portui, quem veteres Populoniam dixere, quique aberat a Plumbino millia paſſuum circiter VI. Caſtra erant ad bellum ducendum aptiſſima natura, & loci munitione, et maris propinquitate, & caeli temperie. Sed antequam primo vere illud inſtauraretur, actum eſt de pace, impetrataque foret, ſi quod impenſae factum erat in bellum ipſum, praeſtare Florentini, & ab Venetorum amicitia ſe removere (haec enim poſtulabantur a Rege) in animum induxiſſent.

Digitized by Google

Hos vero ut omni ratione vexaret, pelli e ſuo Regno juſſit omnes eos, qui mercaturam faciebant, ex quo magnum damnum univerſa Reſpublica accipiebat. Saepe etiam Rex querimonias de rebus Mediolanenſium habebat, adjurabatque ſe nunquam paſſurum, ut ii aut in Venetorum, aut in Aurelianenſis Ducis, qui et jus ſe habere in illos ajebat (101), poteſtatem venirent.

Confecta hieme, auctoque exercitu, Rex ad Campiliam acceſſit, ſimulans ſe velle oppidum expugnare, ſed repente copias ad Plumbini periculum convertit. Dominabatur in eo Rainaldus Urſinius Catharinae Appianae uxoris nomine, ad quam Jacobi patris morte jure hereditario oppidum illud pervenerat, qui ſibi timens, petiit a Senenſibus, ne ſe, quem commendatum in ſuorum amicorum numero jamdiu habebant, maximo in diſcrimine desererent. Quod nihil ab iis obtinere potuit, convertit ſe ad Florentinos, & ſtudiis Coſmi factum eſt, ut nihil non ab iis ſperare juberetur. Pecunia, ſpe promiſſiſque abduxerant ii a Rege Sigiſmundum Malateſtam, & arte ſingulari effecerant, ut is & Fridericus Feltrius, qui contentionibus & ambitione diu inter ſe diſſidebant, mirifice de defendenda cauſſa Reipublicae conſentirent. Quorum adventus in Volaterranum agrum regii exercitus audaciam compreſſit, noſtroſque & Plumbinenſes firmavit, ut ſe ex maximo timore colligerent.

Ad haec Florentini quatuor magnas triremes & duas minores ſumma induſtria inſtruxerant, iiſque praefecerant Bernardum Venturam, qui uſum rerum navalium percallere putabatur. Nactae idoneum ventum ex portu Piſano exeunt, & ad S. Vincentium, qui locus non longe abeſt a Plumpino, perveniunt. Ubi eas regiae naves conſpexere, ſe ſe ad confligendum parant, & qui iis praeerat Garzerarius Recchefenſius Hiſpanus, plenus ſpei bonae atque animi, quod navium numero ſuperior erat, adverſus eas curſum direxit. Commisso praelio, principio Florentinis res nulla ad virtutem defuit, & memores praeceptorum, quae paullo ante a Coſmo acceperant, ita decertabant, ut nullum aliud tempus ad conandum habituri viderentur, perinde ac ſi ii, qui pugnantes in diſcrimen ac periculum vitae vocabantur, non ita multo ſe reliquorum civium fatum antecedere exiſtimarent, quibus, urbe capta, eadem eſſet belli fortuna patienda. Neapolitani non cedebant virtute noſtris, tantaque vi poſt quinque horarum acerrimam pugnam in binas triremes, quae antecedebant, ſe ſe incitarunt, ut hae vehementiſſime ex concurſu laboraverint. Qua re animadverſa, in eas impeditas impetum faciunt, celeriterque ambas capiunt. Nox praelium diremit, victique cum in fugam ſe ſe conjeciſſent, Piſas redeunt. Hanc cladem culpa Praefecti, cujus ſe nomen ignorare ait Ammiratus, accidisse putarunt Florentini. Et qui-

quidem ſi ille magis idoneam rei gerendae occaſionem exſpectasset, aut ſaltem hoſtes coegisset longius a litore dimicare, ne facile parvis navigiis novi & recentes milites feſſis & ſauciis ſubmitterentur, & capta oneraria navi, praedae cupiditatem cohibuiſſet, non adeo adverſam expertus eſſet fortunam. Hac victoria elatus Rex, cum mare tutum ab hoſtibus eſſet, acrius ad diruendos machinis muros Plumbini incumbebat. Verum quod interdiu ceciderat, noctu ab oppidanis reficiebatur, quibus non ad munimenta modo defendenda ſatis animorum erat, ſed etiam ad laceſſendum hoſtem (102). Coſmus per litteras Urſinio magnopere mandaverat, ne per vim oppidum expugnari, ne ſe Regis minis terreri, aut promiſſis allici (& ſane nihil ipſe intentatum reliquit) pateretur, quod priuſquam autumnus appropinquaret, ille ab Etruria demigrare coactus fuiſſet. Ac ſic accidit, ut cum toties expugnationem oppidi, ac poſtremo, quae ultima esse ſolent in bello, fruſtra tentaſſet, ac plurimum imminutus fuiſſet ejus exercitus laboribus, vulneribus, aeſtu & morbis, quos caeli aquarumque gravitas maxime attulerat, ne ob anni tempus (aequinoctium enim ſuberat) navigatione excluderetur, iter Neapolim verſus arripuit. Via, quae eſt in ora maritima, ad Centum uſque Cellas pervenit, ibique conſcenſa triremi, poſtquam magna jactatus fuiſſet tempeſtate, tandem Cajetam appulit. Magna pars militum,

effigies, immo umbrae hominum fame, illuvie, ſquallore enecti, claudi ac debiles equi terreſtri itinere Neapolim rediere. Profecto ſi Florentini adeo quaſſatum exercitum ac prope fugientem inſequi voluiſſent, magna ſane ei detrimenta attuliſſent, ſed parcendum Regi putarunt, a quo multa ſperare et timere poterant propter ejus potentiam & ſingulares virtutes. Tum per Nicolaum Pontificem agi de pace coeptum eſt, exploratаque Regis voluntate, cum ad illam ipſum inclinare intellexiſſet, Coſmo perſuaſit (103), ut homines idoneos Neapolim legandos curaret, qui conditiones ferrent atque acciperent. Fuerunt hi Jannottus Manettus & Franciſcus Sacchettus, qui cum aliquandiu diſceptaſſent de reddenda Florentinis Caſtilionis arce per injuſtum erepta bellum, & de ſolvenda Regi certa pecuniae ſumma, tandem conſenſerunt ſic pacem accipiendam, ut quae hinc inde eſſent, aut oriri possent controverſiae dijudicarentur a Coſmo & a Petro Biſaldimo; ſi vero de aliqua re ii diſſiderent, arbiter illius eſſet Romanus Pontifex. Ejuſdem pacis ſuaequae voluntatis erga Florentinos confirmandae caussa Rex ipſe Legatos Florentiam miſit, quibus dicentibus ita plauſum eſt, ac ſi per eum ſalva Reſpublica fuiſſet (104). Praemiis etiam affecti fuerunt Duces, qui Rempublicam tempore belli adjuverant, & cum Florentiam advenisset Rainaldus Urſinius, nemo non ejus ſingularem virtutem hono-

ravit, decretumque eidem annuum ſtipendium fuit novem millium Florenorum, quo illata ab hoſtibus damna reſarciret, ſuiſque copiis agrum Florentinum a militibus defenderet, quos Alphonſus Rex in praeſidio Caſtilionis collocaverat (105). Sed quoniam ea erat conditio temporum, iſque Italiae ſtatus, ut bellum ex bello ſereretur, non diu Florentinis pace frui licuit, qui in amicorum periculis eumdem habebant animum, quem in ſuis difficultatibus. Mortuo, uti ſupra commemoravimus, Inſubrium Duce, Mediolanenſes de libertate recuperanda laborarunt, ſed cum tantae non eſſent illorum opes, ut ambitioni Venetorum obſiſtere poſſent, traxerunt in partes ſuas Franciſcum Sfortiam, qui armatus praeſtolabatur occaſionem ſub ſuum imperium ditionemque eoſdem redigendi. Sed tum decebat occultare ac diſſimulare hanc cupiditatem ſuam, quare hoc ſpectare videbatur, ut ſe duce non Mediolanenſes modo, ſed et aliae illius regionis civitates adverſus ambitioſos Venetorum conatus libertatem ſuam retinere poſſent. Is quidem multa ab iis capta loca recuperavit, & ut majus detrimentum Reſpublica acciperet, praelium commiſit cum illius copiis ad Caravaggium, ex quo glorioſiſſimam victoriam reportavit. Tum Veneti pro jure foederis a Florentinis auxilia petere, quae minime abnuenda Coſmus putavit, quamvis ejus in Sfortiam haud immutata eſſet voluntas. Huic quidem aut palam, aut ſe-

creto in difficultate nummaria ſubvenit ſemper, & quae agebant, de communi ſententia agere videbantur. Cum Mediolanenſes timere coepiſſent, ne quidquid proſpere eveniebat Sfortiae, ad patriae periculum converteretur, pene coegerunt ipſum pacem facere cum Venetis. Sed haec ad breve tempus duravit. Nam cum ipſe, capto jam Ticino aliiſque urbibus, Mediolanum obſidione clauſiſſet, ut brevi illud ſe in ſua poteſtate habiturum ſperaret, tum ſubito Veneti illi per Leonardum Venerium denunciarunt, foedus ſe junxiſſe cum Mediolanenſibus, & ſe illi hoſtes futuros, qui eoſdem vexasset. Hic nuncius maxime commovit & perturbavit Sfortiam; at ejus fideliſſimus conſiliarius Coſmus ſuaſit ei, ne animo deficeret, obſidionem continuaret, & nihil non a ſui & Reipublicae opibus exſpectaret. Non diu urbs famem, ceteraſque belli calamitates ſuſtinuit, quapropter ſe dedere coacta, Sfortiae regalia inſignia detulit, ipſeque VIII. Kal. Aprilis an. MCCCCL Mediolanenſis Ducis nomen aſſumpſit. Non eſt credibile quanto id gaudio compleverit Florentinorum animos, qui gratulandi & amicitiae confirmandae cauſſa ſtatim ad Sfortiam miſerunt cives primarios Petrum Coſmi filium, Nereum Capponium, Lucam Pittium & Dietiſalvum Neronium. Retulerunt hi ſingulari humanitate ac benignitate a Sfortia ſe acceptos fuiſſe, hunc in omni ſermone praedicare eximiam fidem Coſmi & Florentinorum omnium,

atque affirmare ſe non ſolum regnum, ſed & animam prius amissurum, quam ulla in re auctoribus fortunae ſuae deesset. Haec omnia aegerrime ferebant Veneti praevidentes quantum pondus habiturae essent in Italia eorum conjunctae vires, & non ſolum pigebat eos potentiae Sfortiae, ſed etiam pudebat, quod ad nihilum recidissent tot ſtudia, tot conatus, tot impenſae, ut ſuae ditionis florentissimam Provinciam facerent. Sed non propterea omnino animos demiſerunt, & periclitari deliberarunt, si quo modo potuissent Sfortiam, non bene adhuc firmato imperio, ab illo deturbare. Tentarunt itaque Alphonsum Aragonium, quo animo haec omnia ferret, cumque eum facile revocaſſent ad vetus odium in Sfortiam & Florentinos, coierunt cum ipſo ſocietatem, ea mente, ut in illorum poſſessiones irrumperent. Sed quod tum facere turpe & periculoſum esse videbatur, occultandum & belli caussam quaerendam putarunt. Venerunt itaque a Rege & a Venetis Legati Florentiam, qui nunciarunt illos inter ſe foedus junxisse, non ut cuiquam damnum inferrent, ſed ut tuti eſſent ab aliorum injuriis, & Italiae ſaluti tranquillitatique conſulerent; quapropter ſe rogare Florentinos, ut ſe tertios ad amicitiam adſcriberent. Venetus Legatus in ea, quam ad Senatum habuit, oratione reprehendit atque accuſavit Florentinos, quod ſubſidia amicis debita in libidine audaciaque Sfortiae conſumpsiſſent, debere eos facti poenite-

re, ac videri eorum prudentiae eſſe, vitare pericula, quae procreabantur ab eo, quem ipsi armassent & ad minime ferendam potentiam evexissent; ſi vero in ejus amicitia permanere voluissent, durissimo bello premi, & ruinas fortunarum ſuarum videre parati eſſent. Caussam patriae egit Cosmus propter ſummam ejus auctoritatem, & quia prudentiam cum eloquentia jungebat, ita locutus fertur.

Si quem animum Respublica veſtra in communis fortunae defenſione tot annos habuit, eumdem minime immutaſſet, nulla profecto illi de nobis querendi cauſſa eſſet. Fides & religio foederis tam ſancte a nobis ſervata eſt, ut non dubitàverimus vel arma ſumere contra eos, quos habere amicos Reipublicae maxime intererat. Nihil turpius quam cum eo bellum gerere, a quo magna accepta ſunt beneficia, nihilo tamen minus, dum vos triennio ante armis contendebatis cum Sfortia, non ut veſtras poſſeſſiones tueremini, ſed ut alienas occuparetis, miſimus ad vos Sigiſmundum Malateſtam cum bis mille equitibus, & Gregorium Anglarienſem cum mille peditibus, ſtrenuos ſane duces, qui utilem operam tribuerunt Reipublicae. Neque id erat praebere ſe gratos benemeritis. Nam cum veſtrum cauſſa in magna venissemus pericula, quibus unicum remedium eſſe videbatur reditus in Italiam Renati Andegavenſis, vos recuſaſtis ſtipendia ſolvere ejus peditibus, totque difficultates noſtrae voluntati ac diligentiae attuliſtis, ut quod caluerat negotium, bre-

vi refrixerit. Nihilo tamen minus ſtudium vos defendendi ab hoſtibus ſemper vobiſcum commune fuit, & quaſi nos ipſi viciſſemus, quod pie, quod grate, quod amice aut fecimus, aut tulimus, in utilitatem praeſertim veſtram ceſſiſſe gratulati ſumus. Quod vero noſtri ſenſus, quemadmodum in bello, ſic in pace mirifice ſemper congruerunt, ut vobis placuit deponere inimicitias, quas cum Sfortia gerebatis, libuit & nobis cum ipſo veterem renovare amicitiam, & laetitiam apertissime tulimus, quod fortuna & virtus elargitae sint ei regnum, quo uſurum illum merito ſperamus ad ſui gloriam & foederatorum utilitatem. Superioribus annis divinam illius fidem, divinam virtutem praedicabatis, quod per eas Piciniiorum audacias atque furores, & mobile & infidum Philippi Ducis ingenium, qui veſtris fortunis maxime inhiabat, cohibere potuimus; nunc, quando debitum praeclarissimis ſuis geſtis praemium obtinuit, nihil non ab eo timendum eſſe affirmatis, quasi inſolentia dominatus non extulerit modo, ſed etiam immutaverit ejus animum, & ad omne indignissimum facinus inflammaverit. Nos in illum aequiores in priſtina mente erga auctores fortunae ſuae ipſum manſurum confidimus, & nunquam adhibiturum nervos ſuos & animi excelsi atque invicti magnitudinem ac robur, niſi adverſus eos, qui malo conſilio de ſui & amicorum pernicie cogitabunt. Quae verecundia eſt vos, Veneti, de homine, quem ſemper fidelissimum habuimus huic noſtro imperio, tot mala ſuſpicari, noſque inſimulare violati

foederis, quod ei tulerimus opem & auxlium, quando utilitas veſtra ipſum vobis reconciliavit? Si igitur optima fide erga vos ſemper fuimus, nec ullam de nobis querendi caussam habuiſtis dum bella gerebatis, quod veſtrum silentium ſatis indicavit, cur in pace nos immeritis incuſatis querelis, & minas jactatis, ut nos adigatis ad novum foedus ſanciendum (quasi vetus unquam ruperimus) cujus nomine crudelissimum bellum involvi arbitramur? Hoſtis, non amicus vim & arma intentat, quae si feretis adversus nos, conſolabimur cum conſcientia bonae mentis, tum etiam ſpe Deum patronum, cuſtodem & defenſorem fore juſtissimae cauſſae, noſtraeque libertatis. Nemo impune adhuc hanc nobis eripere tentavit, & civitatem, in qua nunquam hoſtis armatus veſtigia poſuit, nobiliora etiam poſteris fortitudinis & patrii animi exempla prodituram ſperamus. Nihil habuit quod ad haec reſponderet Venetus Legatus, ut ad lenitatem aequitatemque revocatus eſſe videretur. Dum vero exſpectabatur quid conſilii Venetus Senatus esset initurus, nuncius affertur ipſum tuliſſe edictum de pellendis Florentinis, qui frequentiſſimi Venetiis & in univerſa ejus ditione negotiabantur, quod exemplum, Reipublicae ſane rationibus pernicioſiſſimum, paullo poſt, eodem inſtigante, ſecutus eſt etiam Alphonſus Aragonius (106). Tantum odio atque irae Veneti indulſerunt, ut egerint etiam cum Constantinopolitano Imperatore, ut idem vellet, quod a fide ſua abhorrere reſpondit.

Haec quamvis hoſtilem Venetorum animum ſatis oſtenderent, quia tamen bellum Florentinis minime aperte nunciaverant, hi miſerunt ad eos Legatum, ut dehortaretur a diſcindenda amicitia diuturna voluntatum & ſtudiorum conſenſione conjugata. Sed hic, jure gentium violato, in fines imperii non admittitur. Tum omnia velut adverſus vicinos hostes cauta proviſaque fuerunt. Ictum foedus cum Franciſco Sfortia de ſententia Coſmi (erant enim multi, qui deſerendum illum cenſebant, ne ejus cauſſa detrimentum Reſpublica caperet) nec prudens ullus dubitabit hac re maxime utriuſque ſalutem ſtetiſſe. Nam ſi Florentini Venetis adhaeſiſſent, Dux profecto viribus hoſtium ſuccubuiſſet, eamdemque poſtea fortunam iidem ſubiiſſent, converſis in ſe ſe victorum armis. Acceſſerant interim ad Venetorum Alphonſique ſocietatem Sabaudiae, Montis Ferrati, Carpique Principes, conveneratque inter eos, ut Rex Florentinos, ceteri Ducem adorirentur. Hi in unum coactis copiis, quarum viginti & amplius millia numerabantur, rebusque omnibus ad bellum neceſſariis comparatis, Cremonenſem agrum, maturis jam frugibus, depopulabantur. Non minus Franciſco omnia ad bellum apta et parata erant, receptoque in ſocietatem Ludovico Gonzaga Mantuae Regulo, manus conſerere cum hoſtibus optabat, priuſquam illi quaeſitis auxiliis confirmarentur. Primo impetu Brimam caſtellum, mox alia Venetorum op-

pida cepit. Poſitis deinde ad Quintianum caſtris, ut ab hoſtibus conſpici poſſent, praeſentem facultatem cum iis praelium conferendi praeſtolabatur. Sed ipſi tum belli fortunam minime tentandam putarunt, & quo illud longius traherent, paludes, quae Brixiam Bergomumque interjacent, petiere. Ne ſegniores eſſent Florentini in exequendis iis, quae e Republica eſſe videbantur, Coſmi diligentia efficiebat. Ipſi in fide Reipublicae Bononienſes confirmarunt, Genuenſes ſibi adjunxerunt, ſtipendia Simonettae, Sigiſmundo Malateſtae, Aſtorri Manfredio aliiſque decreverunt, & Legatos quaqua verſus miſerunt, ut allicerent Principum voluntates aut alienas aut dubias, partas retinerent. Nihil vero tam valuit ad augendas ſpes Reipublicae, quam foedus pactum inter ipſam, Mediolani Ducem et Gallorum Regem, qua in re mira fuit Angeli Acciajolii dexteritas (107). Inter haec Florentiam venit Fridericus Auſtriacus, qui Romam petebat a Romano Pontifice coronam ceteraque Caeſarea inſignia accepturus. Decernitur, ut ei obviam iretur ab Archiepiſcopo (108) (is erat Antoninus vir doctrina & ſanctitate clarus) & viginti duobus primariis civibus, ut deduceretur in Mucellanam Coſmi villam tanquam ad regale diverſorium, utque in urbe magnificentissimo exciperetur hoſpitio ad S. Mariae Novellae. Comitabatur Caeſarem ceteros inter Ladislaus Bohemiae & Hungariae Rex, qui poſthumus ab

Eliſabetha matre ei in tutelam traditus fuerat. Egit hic ſecreto cum Coſmo ceteriſque, qui ſummum magiſtratum gerebant, ut ſibi adjutores eſſe vellent, quo gubernacula ſuorum regnorum prehenderet, quod ſe facturos negarunt, ne ex eo aliquid offenſionis Caeſar haberet. Eodem tempore Liburnum appulit, quae huic deſponſa erat, Eleonora Portugalliae Regis filia, & ipsa quoque liberaliter atque honorifice tractata eſt. Non diu hi in Italia fuere, ex qua ut diſceſſerunt, exeunte vere an. MCCCCLII., bellum crudele, quod Alphonſus terra & mari comparaverat, Florentinis ſuſtinendum fuit.

Venit in agrum Cortonenſem Ferdinandus Aragonius Regis ipſius filius cum octo millibus equitum et quatuor millibus peditum, ſed adoleſcenti tum primum eunti ad militiam datus eſt conſiliarius & tanquam ſummus moderator omnium rerum Fridericus Urbini Comes, quem ſane perpauci aequarunt ſcientia rei militaris, virtute & conſilii felicitate. Unus tum Sfortia ejuſdem ſocer, cui adoleſcens bellicam in diſciplinam ſe ſe tradiderat, par illi esse poterat; ſed cum hominem cum homine, & facta cum factis comparo, inclinat animus, ut noſtratem Hannibalem (ſic enim Fridericus appellabatur, non modo quia valebat calliditate, ceteriſque militaribus virtutibus, ſed & quia altero oculo caecus erat) ejus aemulo praeferam, quod non tam belli, quam pacis artibus plurimum praeſta-

bat. Miror equidem hunc a fide data Florentinis, qui ei quadriennio ante ſuarum copiarum ſummum imperium commiſerant, diſceſſiſſe. Fortasse prae odio, quod habebat in Malateſtam, in hanc mentem impulſus eſt. Illo duce, Ferdinandus depopulationem & vaſtitatem intulit Cortonae agro, ſed quia de expugnanda urbe deſperabat, iter ad ſiniſtram dirigens, Fojanum Aretinae regionis oppidum obſedit. Mira in hac obſidione virtus fuit non modo virorum, verum etiam mulierum, qui intus erant, ſed demum laſſitudine & vulneribus confecti, cum nemo ſubſidio veniret, ſe ſe dedere coacti fuerunt. Poſt id Ferdinandus, collocatis militibus in praeſidio oppidi, per agrum Senenſium, a quibus ejus in Florentinos odium fovebatur, ad arcem, quam Rencinam vocant, pervenit, quae ſeptimo die Praefecti ignavia dedita eſt. Cum eſſent nonnulli Florentiae, qui querebantur magnum Rempublicam accepiſſe detrimentum ex capto oppido, ab iis pacato laetoque vultu quaeſiiſſe dicitur Coſmus, ut ſibi indicarent qua in parte ditionis Florentinae illud eſſet. Inde hoſtes Caſtellinam quatuor millibus paſſuum arci propinquam acceſſere, ibique caſtra poſuerunt. Fruſtra de expugnando oppido quadraginta & amplius dies laborarunt, in quo cum eſſent occupati, excurſionibus & latrociniis vicinam regionem infeſtabant. Defendebat Simonetta propinqua urbi loca, & ſubitas incurſiones ſuſtinebat; Malateſta vero ad montem,

quem Imperialem nominant, Poggio Bonitio imminentem caſtra locaverat, tum ne caperetur ab hoſte, tum ut hunc ſive Piſtorium, ſive aliam quamcumque partem Florentiam verſus peteret, inſequeretur. Quae hinc inde tota aeſtate & autumno geſta ſunt nullius aut parvi momenti fuerunt, & cum Novembri ineunte omnia rigerent jam nive & frigoribus, viſum eſt Ferdinando exercitum in hiberna deducere, delectis ad id locis Senenſium maritimis, ubi commeatus & pabuli copia abunde erat. Ex iis locis crebrae per hiemem in Florentinorum agros factae ſunt incurſiones ab hoſtibus, quibus ſola praeda pro ſtipendio erat. Ab Alphonſi quoque claſſe agri Volaterrani arx muniti ſſima Vada nomine, Rubei Attavantii civis Florentini aut ignavia, aut, quod credibilius eſt, perfidia capta eſt, de quo valde doluit Reſpublica, quod inde hoſtes facile aditum habere potuissent ad Piſanos adoriendos. Ea propter jussus eſt Simonetta prope Campiliam ſubſidere, ejuſque virtute & diligentia factum eſt, ne illi longius progredi auderent.

Cum tempus ad gerendum bellum idoneum adveniſſet, Coſinus ad Sfortiam Ducem litteras mittit, ut quam celerrime poſſet, quoniam plurimum hoſtium ſuorum vires infirmaverat, foederatis ſuccurreret. Ille Alexandrum fratrem in Etruriam cum bis mille equitibus, qui exercitatiſſimi erant in armis, contendere juſſit, iique cum ſe conjunxiſſent cum noſtris copiis,

magnam his fiduciam, ut timorem hoſtibus attulerunt. Beneficium reddidere Florentini, cum Sfortiae, qui pecunia egebat, octuaginta millia florenorum mutua dediſſent. Neque is parvo pretio ſuas mercenarias copias vendebat. Pro quadringentis enim equitibus tria & amplius florenorum millia in ſingulos menſes expenſa fuiſſe a Florentinis ſcriptum invenio. Cum de ſumma rerum Florentiae deliberaretur, erant ſententiae, quae conandum omnibus modis, caſtraque Aragonenſium oppugnanda cenſerent. Alii praeſtare dicebant minime belli fortunam tentare, ne quid gravius Reipublicae accideret. Coſmus utrumque improbans conſilium, quantum alteri ſententiae ſupereſſet animi, tantum alteri deeſſe dicebat; quapropter, eodem auctore, vires Reipublicae ad recuperanda, quae amiſerat, converſae fuerunt. Capitur Recina & Fojanum cum praeſidiis, quae iis in locis poſuerat Ferdinandus, Vada tanto ardore expugnatur, ut cum animus & vires deficerent hoſtibus ad eam defendendam, ipſi cum arce in poteſtatem noſtrorum venturi eſſent, niſi conſcenſis navibus fugam arripuiſſent. Ne illud receptaculum amplius hoſtibus pateret, funditus everſum fuit. Atque hoſtium copiae non ſolum his adverſis rebus, ſed etiam quia multi ad noſtros transfugerant, & quia gravis aeſtus in regionibus mari propinquis & inſalubribus omnem fere exercitum valetudine tentaverat, plurimum imminutae erant. Ne-

quaquam etiam, quemadmodum ſperaverat, proceſſit Ferdinando, ut obtineret a Gherardo Gambacurta Bagni oppidum ejuſque agrum, ad quae ſibi danda magnis promiſſis illum allexerat. Haud enim occultari infidi hominis dolus ac perfidia potuit, & privatus ille ditione fuit, quam ab ipſa Republica Florentina acceperat ejus Pater Joannes, ut illi praemium daretur pro deditis Piſis. His rebus confectis, perinde ac ſi ad laborum periculorumque finem eſſet perventum, multi Florentinorum de ulciſcendis Senenſibus, qui quidem plurimum faverant Aragonenſibus, egere. His reſpondit Coſmus, etſi multis jam rebus perfidiam Senenſium perſpectam habebat, non ſe cenſere tamen iis aperte bellum inferendum; cupere hoc Ferdinandum, ut eos foedere & ſocietate conjunctos haberet; non augendum inimicorum numerum; magis opportunum tempus exſpectandum ad perſequendas injurias; has in praeſentia diſſimulandas, reſervandaſque vires ad removendum hoſtem, qui adhuc in Reipublicae viſceribus inſidebat. Actum interea eſt de pace, Romano Pontifice non modo hortationibus, ſed etiam minis ad eam Principes ſtimulante, qui totus inflammatus erat ad avertendos a Chriſtiana Republica furentes Turcarum impetus. Sed ad illam obtinendam plus valuit propria bellatorum, quam publica utilitas. Deſeruerat ſpes Venetos deturbandi Sfortiam Ducatus Mediolanenſis poſſeſſione non modo propter ejus virtutem &

Digitized by Google

robur, ſed etiam propter auxilia, quae illi a Renato Rege mittebantur. Quod hic e Ciſalpina Gallia redire coactus ad ſuos fuerat, miſit ſtatim in Italiam Joannem Filium cum mandatis, ut omnem vim adhiberet ad Florentinorum & Sfortiae hoſtes opprimendos. Fractus ille & debilitatus exercitus Aragonenſis, qui nihil magnum in Etruria efficere potuerat, vel quando viribus valebat, ductoreſque ſummos viros Fridericum Feltrium, et Averſum Napoleonemque Urſinios habebat, erat ſine ulla exſpectatione rerum meliorum, & pace turpem ab Etruria diſceſſum obtendere vehementer cupiebat. Ipſi Florentini et Sfortia feſſi erant belli fluctibus & impenſis, quas illius cauſſa fecerant, et otium quaerebant, ut amiſſas vires redintegrare poſſent. Omnibus igitur conſentientibus pax III. id. Aprilis an. MCCCCLIV. conciliata eſt, ea inter ceteras lege, ut Sfortia et Veneti amiſſa in bello recuperarent. Tum minime recuperarunt Florentini Caſtilionem Peſcariae & Gavorranum, ac vehementiſſime quidem antea petierat Sfortia a Coſmo, ne parvorum oppidorum cauſſa, quae retinere volebat Alphonſus, ut non fruſtra Reipublicae hoſtis fuiſſe videretur, concordiam ſuis rationibus utiliſſimam turbaret. Huic vero ut auctoritas dignitaſque adjungeretur, legati ſunt ad Venetos Jannottus Pandulphinius & Petrus Coſmi Filius, qui Senatui expoſuerunt*: non videri ſatis communi tranquillitati eſſe conſultum, niſi priſtina amicitia,* cul-

culpa temporum intermiſſa, inter duas Reſpublicas renovaretur: his enim ſocietate junctis a nemine Italas res turbatum iri. His dictis valde omnes aſſenſi ſunt, novumque foedus inter Florentinam & Venetam Reſpublicas ac Mediolanenſium Ducem ſancitum eſt, invitatuſque Alphonſus Rex, ut in eo locum habere vellet. Hac de cauſſa miſſi ad eum legati fuerunt a Venetis Hieronymus Barbadicus & Zacharias Triviſanius, a Sfortia Bartholomaeus Vicecomes Novarienſis Epiſcopus, & Albericus Maletus, a Florentinis Bernardus Mediceus & Dieteſalvius Neronius. Poſt aliquot concertationes tandem Regi perſuaſum eſt, ut leges foederis acciperet, et pacem apud Laudem Pompejam factam confirmaret, nonnullis, quae ad Regem ipſum pertinerent, additis conditionibus. Id inter cetera decretum, ut ſi qua in poſterum controverſia inter foederatos oriretur, Pontifex ejus judicandae jus poteſtatemque haberet, neque cuiquam arma adverſus alium ſumere jus eſſet, niſi poſtulato prius latoque Pontificis decreto. Univerſum hoc bellum ad memoriam Coſmi ſane inſigne eſt, quod ut aequabilitas quaedam eſſet potentiae in iis, qui maxime in Italia dominabantur, neque cuiquam facultas eſſet pro libidine omnia mutare atque miſcere, utque viam ſterneret Sfortiae ad Mediolanenſium imperium obtinendum, in eoque ipſum confirmaret, conſilio cum improvidis civibus, & armis cum potentibus hoſtibus

dimicare minime dubitavit. Quod vero in liberis maxime civitatibus ſecundae adverſaeque res immutare ſolent animos, vel ii ipſi, qui in conviviis rodebant, atque in circulis vellicabant illius obſtinatiorem voluntatem in alendis bellis, de eodem, confecta pace, ſic praedicabant, unum esse, cujus conſiliis atque providentia res Italica, ac dignitas Reipublicae Florentinae ſtaret.

Tempore belli nihil praetermiſit Coſmus, quantum facere potuit, ut multae nobiles & divites familiae a privatis contentionibus avocarentur, redderenturque patriae multi, qui ab ea exulaverant. Quos vero ſui amantiores noverat, hos omnibus beneficiis afficiebat; mercabatur interdùm etiam nonnullorum officia & voluntates, & cum potens ac florens per mediam urbem volitaret, in eum omnium civium oculi atque animi intenti eſſe videbantur. Pulcherrime etiam ejus res domeſticae procedebant. Dederat in matrimonium Petro Lucretiam Tornaboniam, Joanni Corneliam Alexandriam, quae conjunctiones magnae ei voluptati erant, & quod amantiſſime & concordiſſime cum iis vivebat, & quod nepotibus, inter quos erat Laurentius ille noſter, qui avi laudes aut ſuperavit, aut certe aequavit, familiam auxerant. Erat et in ea Carolus (109), quem ex ſerva (& mos tum erat primariis viris ſervas, quas non parvo emebant (110) in familia habere) genuerat Coſmus, dum

voluptas ſicut labes quaedam ejus primam adoleſcentiam paullisper foedavit. Ceterum eam grandior factus accuſavit, & juſta reprehenſione digniſſimos illos putavit, qui blanditiis obſcenarum voluptatum deliniti atque corrupti officia deſerunt, & mollitie obcaecati minime praevident quid mali familiae & patriae illae ſint allaturae. Nihilo tamen minus plurimum amavit Carolum, quod in eo egregiam quamdam indolem & praeclaram eſſe cognoverat, & ubi honorum & optimorum ſtudiorum cupidum vidit, Romam miſit, quo iis operam daret. Habebat is ſaepe a Patre mandata de comparandis Graecis & Latinis codicibus, numiſmatibus, aliiſque antiquitatis monumentis, quibus ſic ſatisfaciebat, ut ad eum quoque hujus gloriae hereditas pertinere videatur. Conſuluit etiam Coſmus rebus fratris filii, quocum negotia communia habuit uſque ad an. MCCCCLI. quo anno, Carolo Marſuppinio & Bernardo Mediceo Antonii F. judicialibus laudatoribus, bipartita facta eſt ampliſſimi patrimonii diviſio (111). Multa vero Coſmus providit divinitus, ut familia, ſummis laboribus a ſe ad ampliſſimam dignitatem & potentiam evecta, ſtabilitate fortunae confidere, & civium injurias propulſare poſſet. Plures enim invidos illam inter optimates maxime habituram facile exiſtimatu erat, quod ii erant mores Florentinorum, ut libenter de iis detraherent, quos virtus & fortuna ſupra ceteros extollebat, & quem paullo ante

ob bene & praeclare geſtam Rempublicam ſummis laudibus preſecuti fuerant, invidioſe criminarentur. Ipſam gratiam, qua plurimum pollebat apud omnes fere Italiae Principes, & apud Gallorum Anglorumque Reges, domui adminiculo fore ſperabat, nullique parcebat induſtriae, quo illam retineret augeretque. Graviſſimus auctor Gallicae hiſtoriae Philippus Comineus ſatis coſtanter affirmat Eduardum IV. Anglorum Regem, Coſmo, cum regno ejectus pecuniam ab illius procuratoribus, qui Londini erant, magno gerendo bello neceſſariam mutuam ſumpſiſſet, partam de hoſte victoriam acceptam retuliſſe. Philippo etiam Burgundiae Duci (minores Principes nominare non lubet) pecunia ſubvenit, pro qua oppignerata eidem fuit pergrandis & magni pretii gemma, quam *Aliſii florem* appellavere (112). Sic dum multis ſuccurrebat Coſmus, ſuam rem & gratiam mirum in modum augebat. Nec vero ii, qui illum accuſabant, nimium ſtudere pecuniae, habebant quid jure ſuccenſerent. Ad rationem enim Reipublicae glorioſum erat multos beneficiis & aere obſtrictos habere. Pertinebat quoque ad dignitatem Coſmi ejuſque familiae magnus concurſus, qui ad eum fiebat doctiſſimorum hominum. Eorum conſuetudinem ſancte retinendam putavit, quod ipſe amabat litteras (quamvis propter infinitas tum publicas, tum privatas occupationes eas ſatis excolere minime potuit) quod iis mandari optabat omnes ſuos de inimicis triumphos,

Digitized by Google

ornamenta omnia honoris, monumenta gloriae ac laudis inſignia, quod magni intererat ad decus civitatis ipſam florere omni genere honeſtiſſimorum ſtudiorum, quodque liberos ac nepotes ſuos nunquam claros fore arbitrabatur, niſi exemplo, hortatu praeceptisque ſummorum virorum eorum mores conformarentur. Optime quoque iis utebatur ad rem publicam. Nam tres viri ſummi ex urbe Aretio Leonardus Brunius (113), Carolus Marſuppinius (114), & Benedictus Accoltus (115), atque Poggius Bracciolinius (116), qui ſcribendi elegantia ceteros vincere putabantur, Reipublicae ab epiſtolis (Dominorum Cancellarios vocabant) fuerunt (117). Hoc ipſum munus poſtea etiam ſuſtinuit Bartholomaeus Scala, qui humillimo loco Colle natus atque egentiſſimus cum Florentiam veniſſet, & excellenti ingenio humanioribus litteris ſe ſe dedidiſſet, eum domum ſuam recipit Coſmus, munivitque ipſi viam ad ampliſſimas dignitates atque fortunas. Medicei dabant purpuram amicis (118), hi operas, quibus improborum & ſtultorum audaciae reſiſtebant. Omnino ut quique optime nati inſtitutique ſunt, non ita capeſſunt Rempublicam honoribus imperiiſque adipiſcendis, quin ſe etiam ad ſtudia doctrinae conferant, quibus curas, ſollicitudines ac vigilias facilius perferant, optimaque parte hominis, quae in nobis divina ducenda eſt, ingenii & mentis acie fruantur. Quapropter minime intermittunt aut admirationem earum

rerum, quae ſunt ab antiquis repertae, aut inveſtigationem novarum, qua occupatione cum nunquam ſatientur, nihil abjectum, nihil humile cogitant, tantaque eſt vis talibus in ſtudiis, ut etiamſi maxime ſibi propoſuerint rerum publicarum adminiſtrationem, aut adminiſtrandi, ſciendique prudentem, temperatam, fortem & juſtam rationem, in iis tamen prorſus conquieſcere videantur. Et hoc quidem apparuit in Coſmo, cujus illuſtria & glorioſa facta pro patria obſcurantur ab iis, quae contulit ad litterarum incrementum, quod horum utilitas ad omnem regionem, omnemque poſteritatem pervenerit. Ab his multi oratores, poetae, hiſtorici, medici, juriſconſulti, philoſophi extiterunt, quorum artes, licet principio parvae fuerint, ſuis tamen progreſſionibus uſae, poſtea magnae fuerunt. Nec ſine cauſſa. In primo enim ortu ineſt timiditas quaedam, ut homines nec res videre optimas, nec agere poſſint. Jam coeperat Juris prudentia veterem exuere barbariem exculta maxime per Antonium Minuccium, Franciſcum Accoltum & Marianum Sozzinium, qui ſe ſumma a Coſmo beneficia accepiſſe in omni ſermone praedicabant, jam in ſcholis paullo liberius de Peripateticorum opinionibus diſceptabatur, jam praecepta non ſolum ad privatae vitae rationem, ſed etiam ad rerum publicarum rectionem, jam leges, mores, inſtituta, diſciplinae cognoſcebantur, jam in pretio coeperat eſſe elegans Latinus ſermo, jam Grae-

cae paſſim excolebantur litterae, harumque rerum omnium inſtrumenta in domo Coſmi tanquam in optimarum artium officina reperiebantur. Utebatur ille praeſertim opera Nicolai Niccoli, Chriſtophori Bondelmontii praesbyteri Florentini ac Poggii Bracciolinii in comparandis antiquis codicibus, quorum copiam non modo iis faciebat, qui domum ſuam frequentabant, ſed interdum etiam abſentibus. Plures enim extant Nicolai v. litterae, quibus eumdem rogat de commodandis ſibi ad exſcribendum Graecis codicibus (119). Quanta vero illi viri eſſent induſtria & diligentia in exequendis Coſmi mandatis nihil attinet dicere. Nam tanquam canes venatici optime odorabantur & perveſtigabant omnes veteres bibliothecas ac tabularia, & teſtis eſt locupletiſſimus Franciſcus Barbarus Poggium ex Germania in Italiam tranſtuliſſe, atque e tenebris in lucem hominum protulisse Tertullianum, M. Fabium Quintilianum, Aſconium Pedianum, Lucretium, Silium Italicum, Marcellinum, Manilium Aſtronomum, Lucium Septimium, Valerium Flaccum, Caprum, Eutychium, Probum Grammaticos, alioſque hujus generis ſcriptores bene multos. Vel ipſi, quos adhibebat Coſmus, librarii, erant apprime boni, celebrabaturque praeſertim ex iis Veſpaſianus quidam Philippi Filius, doctus non Graecis ſolum & Latinis litteris, ſed etiam Hebraicis, quem Lucam & Senas aliquando miſit emendi codices cauſſa. Ipſe vero ha-

bebat non modo ſamiliares, ſed et contubernales Albertum Enochium Aſculanum (120), quem Nicolaus a Vulpe doctiſſimum appellat, Antonium Pacinium Tudertinum (121), quibus filios ſuos inſtituendos dederat, Gentilem Becchium Urbinatem, quo uſus eſt Laurentius nepos & praeceptore optimo & amico fideliſſimo & conſiliario ſapientiſſimo, ac demum Marſilium Ficinium, qui ſe binos patres habuiſſe dicebat, Ficinium medicum, a quo natus eſt, & Coſmum Medicem, a quo in novam vitam revocatus fuit. Ficinii medici & chirurgi tum conſuetudo Coſmo jucunda erat, tum etiam ars, quam eſt expertus in ſui ſuorumque valetudine tuenda, in quo ſibi tum ipſa ſcientia, tum etiam fidelitate benevolentiaque ſatisfecit. Adeo vero filii illius gloriae laudique favit Coſmus, ut cum ex eo tempore, quo de myſteriis Platonis diſputantem audivit Graecum philoſophum nomine Gemiſtum, cognomine Plethonem (venerat ille ad Florentinum Concilium) cogitationem ſuſcepiſſet instituendae Academiae Platonicae, hujus principatum penes Marſilium eſſe voluerit. Nemo est in philoſophia vel leviter eruditus, qui ignoret quantam gloriam haec Academia Etruriae & Mediceis pepererit, quod illa omnium prima delendae Scholaſticorum tyrannidis & hujuſmodi coetuum habendorum exemplum dederit. Coſmus in Careggianum propinquum urbi rus convocabat Academicos, & acu-

& acuebat omnium induſtriam ad interpretandum & explicandum illum animi & virtutis magiſtrum Platonem. Ne quid eis deeſſet, omnium Platonicorum libros ſtudioſissime conquiſivit, & auctor fuit Ficinio, ut illuſtriores & quoſdam etiam ipſius Platonis libros in Latinum converteret. *Contuli me in agrum Careggium* (his ipſis verbis ſcribebat ad eumdem Ficinium) *non agri, ſed animi colendi gratia. Veni ad nos, Marſili, quamprimum. Fer tecum Platonis noſtri librum de ſummo bono, quem te iſthic arbitror jam e Graeca lingua in Latinam, ut promiſeras, tranſtuliſſe. Nihil enim ardentius cupio, quam viam, quae commodius ad felicitatem ducat, cognoſcere. Vale, & veni non abſque Orphica lyra*. Teſtatur ipſe Ficinius tam acutum fuiſſe Coſmum in diſputando, quam prudens & fortis erat in gubernando; & neſcire ſe utrum magis Platoni, an Coſmo ipſi deberet, quod *virtutum ideam, quam ſemel ille ſibi monſtraverat, eam hic quotidie agebat*. Hunc etiam modo comparat Soloni, quod per omnem vitam vel in ſummis rerum publicarum occupationibus ſolitus eſſet philoſophari, modo Dioni Syracuſano, qui expolitus a Platone doctrinis omnibus tantum magiſtro tribuebat, ut ille ſibi unus eſſet inſtar omnium. Cave vero putes inter Academicos Platonicos Marſilio Ficinio quemquam ſuperiorem fuiſſe tum ingenii acumine, tum praeſtantia eruditionis atque doctrinae, ut veluti alter Speuſippus ab ipſo Platone philoſophiae

quaſi heres relictus fuiſſe videretur. De omnibus enim rebus, quae in illa continentur, poterat varie & copioſe dicere. Illo igitur ſic utebatur Coſmus, ut nec doctiorem, nec diligentiorem, nec officioſiorem, nec ſui ſtudioſiorem facile delegiſſet, quapropter necquicquam invidi quidam de hac dirimenda conjunctione adlaborarunt. Cupide etiam fruebatur Coſmus ſermonibus Paulli Toſcanellii, hominis omni virtute et doctrina phyſica ac praeſertim aſtronomia ornatissimi, ſed hic nullum cum Platonicis commercium habebat. Horum tamen divina ſtudia ſe plurimi facere ajebat, & laudabat Coſmum, quod non tantummodo haec ſuae aetatis hominibus, ſed etiam poſteris prodere ſatagebat. Dum hic vero exequebatur omnia Academici officia & munera, dolere videbatur, quod propter maximas moleſtias & turbulentiſſimas tempeſtates non omnia, quae voluerat, perficere potuisset; ſed fortuna, quae illum Reipublicae gubernacula tractantem potuit pervellere & pungere, non potuit certe magnum & fortem animum frangere, ne uno eodemque tempore & litteris & publicis rebus conſuleret. Si noſtra cum externis conferre voluerimus, nullam porro inveniemus nationem, quae tum cum Florentina potuerit aequari doctrina & ingeniis, & quod omnium patrocinium ſuſceperit Coſmus, & ſuis quà voce, qua exemplo auctor fuerit, ut in imperio atque in publica dignitate quaererent maxime laudem & glo-

riam, quae ex liberalibus diſciplinis atque artibus aut cultis, aut provectis capitur, nulla eſſe debet tam immemor poſteritas, nullae tam ingratae litterae, quae illius memoriam non immortalitatis memoria proſequantur (122).

Vetus haec eſt opinio multorum, per Graecos, qui capto Byzantio, ut Turcarum tyrannidem vitarent, in Italiam aufugere, ad nos veluti poſtliminio rediiſſe Graecarum litterarum & omnis politioris elegantiae ſtudium. Quanquam nonnulli eorum ad provehendas Graecas litteras praeclari adjutores fuere, hae tamen, vel ante hoc tempus, adeo in Italia & praeſertim in Etruria florebant, ut nos majoribus noſtris hac in re plurimum concedamus. Philelphus, Auriſpa (123), Guarinius, Robertus Florentinus (124) Jacobus Angeli de Scarparia, aliique plures multos annos ante quam a Mahumete Byzantium caperetur, in Graeciam conceſſerant, exquiſitas antiquorum artes mercaturi, nec ſine magna utilitate contigit, ut divitias, quas multo labore multaque induſtria congeſſere, ad Italorum ſuorum bonum contulerint. Extat hac de re praeclarum Pii II. Summi Pontificis teſtimonium, qui in ea, quam de bello Turcis inferendo habuit, oratione ait: *Manſit apud Conſtantinopolim uſque ad noſtrum tempus vetuſtate ſapientiae monumentum, ac veluti ibi domicilium litterarum eſſet, & arx ſummae philoſophiae, nemo Latinorum ſatis doctus*

videri poterat, niſi Conſtantinopoli aliquandiu ſtuduiſſet, quodque florente Roma doctrinarum nomen habuerunt Athenae, hac tempeſtate noſtra Conſtantinopolis obtinebat, unde & multa veterum ſapientum volumina ſuſceperamus, & in futurum ſuſcipere ſperabamus. Vel ipſi Graeci, qui Florentiam Concilii cauſſa acceſſere, mirati ſunt Ambroſium Traverſarium, ejusque collegam Jacobum Tornaquincium, Leonardum Brunium, alioſque adeo noſſe Graecam linguam, ut multa, quae iis erant incognita (perpauci enim eorum diſputationum cupidiores coluerant humaniores litteras) explicare docte & erudite potuiſſent. Haec ſtudia vel ab ſaeculo XIV. tranſtulerat in Etruriam Leontius Pilatus, ſed cum brevi ea friguiſſent, extitere multos poſt annos Demetrius Cydonius & Emmanuel Chryſoloras, qui fecere ut illa iterum in honore eſſent & paſſim celebrarentur. Publice vero docentibus Florentiae tum e Graecis ipſo Chryſolora & Joanne Argyropylo, qui non exſpectavit patriae Byzantii excidium, ut in Etruriam & in ſinum Coſmi confugeret, tum e noſtris Philelpho & Chriſtophoro Landinio, cujus doctrinae & ingenio plurimum ſemper favit Coſmus, nec non iis, quos paullo ante nominavimus, Leonardo & Carolo Aretinis, illa urbs tanquam ſedes quaedam facta eſſe videbatur Graecarum atque Latinarum litterarum. Et mira ſane erat Coſmi induſtria atque diligentia, ut intelligerent homines in ipſis rebus, quae

Digitized by Google

diſcebantur & cognóſcebantur, invitamenta eſſe, quibus ad diſcendum cognoſcendumque moverentur. Tum quoque multi numerabantur, qui, ut omnibus nota eſſent Graeca exemplaria, in iis aut Latine, aut Italice reddendis utilem operam ponebant, & ex iis, quae ſcripſit Jacobus de Caſtiglionchio, qui et Lapus Caſtelliunculus nominabatur, cum ad Coſmum mitteret Themiſtoclis vitam a ſe ex Graeco Plutarchi in Latinum converſam, intelligi poteſt, quantum hujuſmodi exercitationes Coſmus ipſe foveret. Licebat quoque Florentinis in hoc gloriari, ut cum ſaepe ad Principes mitterent legatos, qui cum inſtituti optime, tum etiam perfecte planeque eruditi ad Rempublicam acceſſerant, anteire ceteros illis artibus & ſtudiis, quae ſunt nobis Graeciae monumentis diſciplinisque tradita, putarentur. Ii, qui ſtudioſe antiqua perſequuntur claris & magnis viris commemorandis, jactare quidem poterunt Jannottum Manettum, Bartholomaeum Valorium, Petrum Pactium, Ugolinum Peruzzium, Mathaeum Palmierium, Pallantem Stroctium, Donatum Acciajolium alioſque, qui cum Graece luculenter ſcirent, & omni liberali & digna hominibus nobilibus doctrina eſſent eruditi, admirationem movebant ipſis, ad quos legabantur, Principibus. De Manetto quidem ſic praedicabat Alphonſus Aragonius Rex, neminem ſe noviſſe, qui magis teneret artem dicendi, delectandi & permovendi audientium animos. Etſi autem

natura talem Coſmo mentem dedit, ut omnem virtutem omnemque doctrinam accipere poſſet, & traheretur ad cognitionis & ſcientiae cupiditatem, hac re tamen minime illorum, quos nominavimus, ſummorum virorum gloriam aequavit. Sed quia ſaepius ad laudem atque eloquentiam natura ſine doctrina, quam ſine natura valuit doctrina, habebatur & erat eloquentiſſimus, quanquam interdum diſſimulabat hoc bonum, propterea quia prudentia hominibus ſemper grata eſt, lingua ſuſpecta. Niſi modus adhibendus eſſet, poſſem multos alios & hujus, de qua ſcribimus, & ſuperioris aetatis doctos viros commemorare, ex quo intellectu facile eſſet, viguiſſe Florentiae, ut et in aliis Italiae urbibus ſtudia Graecarum litterarum omniſque humanitatis multos annos ante quam ex illa clade Conſtantinopolitana, & ad nos tanquam in tranquillitatis portum confugerint Demetrius Chalcondyles, Joannes Laſcaris, Joannes Andronicus Calliſtus, aliique plures, qui apud Coſmum magno ſemper in honore fuerunt (125). Omnino quod ex animo excelſo magnificoque quaeritur, promptum & paratum in illo erat, praeſertim ſi id litteris incrementum eſſet allaturum. Praeter illam ſuam domeſticam bibliothecam ad ſtudioſorum commodum binas alias exaedificavit optimiſque libris inſtruxit, alteram urbanam ad S. Marci, alteram ſuburbanam ad S. Bartholomaei. Quod vero illa pene tota corruit an. MCCCCLIII. quo tempo-

Digitized by Google

re magni Florentiae totaque in Etruria terrae motus facti ſunt, ipſam non multo poſt inſtauravit renovavitque. Non eſt vero praetereundum, cum primum cogitationem ſuſcepit hujus bibliothecae conficiendae, mandaſſe eumdem Thomae Calandrinio, quando Florentiae commorabatur, quemque ad Pontificatum Maximum evectum fuiſſe commemoravimus, ut ſcripto exponeret qua ratione ipſa eſſet inſtituenda atque ordinanda. Credibile eſt quidem Vaticanae bibliothecae inſtitutorem, & callidum omnis generis librorum aeſtimatorem plane ſatisfecisse deſiderio Coſmi. Hujus quoque ſtudiis & munificentia factum eſt, ut multi codices, quos poſſederant Coluccius Salutatus, Ugolinus Peruzzius, & Nicolaus Niccolus, qui ad eos comparandos non Italiam modo, Germaniam, Angliam, Galliam, ſed & Graeciam perluſtraverat, in illa ipſa bibliotheca conderentur. Quod vero Niccolus horum itinerum caussa in aes alienum inciderat, hoc ejuſdem heredes Coſmus liberavit. Porro nullus ferme erat, qui litterarum gratia in longinquis regionibus peregrinaretur, cui non ſubſidia pararet Coſmus, cujus rei ceteros inter optimus eſt teſtis ille antiquitatis pater (ſic enim merito appellabatur) Kyriacus Anconitanus, qui quod ex Graecia, Aſia, Aegypto atque Cilicia plurima in Italiam advexerit antiqua monumenta, ex iiſque famam collegerit, hoc a ſe deberi in primis Coſmi liberalitati ac ſtudiis palam

profeſſus eſt. Quod beneficium Coſmus alio quoque cumulavit, cum eumdem de meliore nota Eugenio Pontifici commendaſſet. Quae ſi Regibus glorioſa ſunt, quanto magis commemorabuntur in privato homine, qui pecuniam, auctoritatemque ſummam, quam ex ſua induſtria atque virtute ſibi pepererat, reddebat patriae & litteris!

Intelligebat Coſmus nihil tam conducere ad litterarum bonum quam tranquillitatem & otium, ſed ea erat conditio temporum, ut quoties Reipublicae deerant externa bella, ipſa domeſticis diſcordiis laceraretur. Cum iis conflictari, qui querebantur eorum rationem non haberi in mandandis magiſtratibus, omniaque paucorum libidine adminiſtrari, & pro ſalute patriae quotidie dimicare erat omnino Coſmo moleſtum. Ad eorum ſedandas querimonias viſum eſt illi revocari ſortis beneficium: nam quando ſuperiorum bellorum fluctibus Reſpublica jactabatur, non pro jure civitatis omnium ſortes miſcebantur ducebanturque, ſed pauci deligebantur, ut judicio magis Coſmi, quam fortunae monitu creari magiſtratus viderentur. Nec defuerunt, qui turbulenta & temeraria conſilia inirent de illius potentia labefactanda, ac palam dicerent, Rempublicam idcirco tot bellis afflictatam fuiſſe, quod illa aluit Coſmi ambitio & cupiditas omnia miſcendi. Conjurarunt etiam de mutando civitatis ſtatu Petrus Riccius, Alamannus Adimarius, et nothus quidam

ex

by Google

ex Nicolao Valorio genitus cognomine Botticellius, homines incredibili importunitate atque audacia, ſed hi dum alios quaerebant ſceleris ſocios detecti poenas legibus & judicio dederunt. Inter haec repentinus Jacobi Picininii in agrum Senenſem incurſus Florentinis timorem attulit. Augebat hunc ſuſpicio non ſine Alphonſi Regis voluntate & conſilio ab illo, quanquam esset ad omne facinus, ut fuerunt omnes Braccianae factionis duces, audaciſſimus, iterum turbatum iri Etruriam. Quod magnum collegerat exercitum, & plura Senenſium oppida ceperat, non ſolum Florentini cum iis copiis, quarum imperium dederant Simonettae, ſed & Veneti, Pontifex ac Inſubrium Dux cum illo conjunctis viribus dimicarunt, victumque coegerunt perfugium quaerere apud Neapolitanorum Regem. Neque hic, neque Veneti, neque ceteri Italiae Principes magnas moturi res videbantur, quod omnium mentes occupaverat Turcarum timor. Illud enim belli fulmen Mahometes, poſtquam an. MCCCCLIII., Byzantio terra marique expugnato, caeſoque Conſtantino poſtremo Graecorum Imperatore, antiquiſſimum eorum imperium funditus everterat, ad eripiendas Venetis, quas in Graecia, Illyrico & Dalmatia habebant poſſeſſiones, ad infirmandam Regis Neapolitanorum potentiam, & ad univerſae Italiae ſtatum convellendum aſpirare videbatur. Ejus vero cupiditas dilatandi imperii eo formidanda magis erat, quod multas naves

in omnem ſere oram maritimam dimiſerat, quod abundabat pecunia & milite, quodque non deerant vel inter Chriſtianos Principes, qui ejus ſuperbiae & libidini facultatem & materiam dare videbantur. Reſpexit Catholicae Reipublicae periculum Nicolaus v. cujus tamen vitam Deus ad Apoſtolicae Sedis decus & gloriam non diu reſervavit. Mortuus enim eſt IX. Kal. Apriles an. MCCCCLV. & dolore animi confectus traditur ob captum a Turcis Byzantium. Qui ejus in locum ſuffectus eſt Calliſtus III. non ſegnior fuit ad hortandos Chriſtianos Principes, ut foedus jungerent adverſus communem hoſtem. Egit quoque cum Coſmo, ad quem Jacobum Raguſinum Archiepiſcopum miſit, quem magnae auctoritatis, magnique conſilii virum appellavit, ne Florentina Reſpublica, quae omnes ſuperabat divitiis, ſe a ceteris vinci liberalitate & ſtudio in rem Catholicam pateretur; & homo religioſiſſimus, a quo nemo unquam rem laude dignam deſideravit, ea reſpondit Summo Pontifici, quae declarabant inſignem ſui, ſuorumque omnium voluntatem.

Porro magnorum periculorum metus non modo ab apparatu bellorum, ſed etiam ab oſtentis inferebatur, quae iis temporibus, quibus ſumma erat phyſicarum rerum ignoratio, graviſſima ad ſignificationem futurorum malorum putabantur. Magnus in caelo apparuit Cometes, qui quadraginta quatuor diebus ita luxit, ut omnium in illum conjecti oculi eſſent; ſaevi

extitere turbines, a quibus multis locis labes facta eſt; Neapolitanum regnum terrae motibus conquaſſatum; imbres continui campis omnibus inundantes, animalium etiam repentina multitudo vaſtitatem effecerant. Pudet alia referre, quae proximam Chriſtianae Reipublicae everſionem portendere putabantur, quod nimiam hominum credulitatem arguant. Ad tantum terrorem minuendum plurimum valuit victoria, quam Pannonii, Joanne Corvino duce, ad Albam Graecam de Turcis reportarunt, & licet per ſe magna erant, quae ii geſſerant, praeſertim ſi eorum non magnus numerus cum tanta multitudine hoſtium (hi enim centum quinquaginta millium numerum explere putabantur) conferretur, majora tamen memorabantur, ut de ſuis homines laudibus libenter praedicant. Ea propter omnia ſupplicationes ubique decernebantur, eminuitque ſemper Florentinorum pietas ac religio, Coſmo cunctis exemplo praeeunte. His temporibus cum fides tota Italia eſſet anguſtior, neque creditae Reipublicae pecuniae ſolverentur, Coſmus ad Patres detulit, ut iterum fierent aeſtimationes poſſeſſionum & rerum, & ex cenſu tributa, ſicuti antea decretum fuiſſe commemoravimus, conferrentur. Hoc ad levandum populum & ad tuendam exiſtimationem Reipublicae ipſius eſſe aptiſſimum exiſtimavit; ſed ejus rei cauſſa potentiorum querimonias ſuſtinere debuit. Item ejus conſilio coercita fuit Hebraeorum avaritia, & graviſſimis

T 2

Digitized by Google

uſuris liberati cives fuerunt. Quod vacua ab hoſte & a bello otioſa erat Reſpublica, multa ſane providere potuit, quae ad levandas publici aerarii anguſtias & ad mercatorum induſtriam juvandam mirifice conducebant. Nec auxilium ſuum fruſtra implorari patiebatur Coſmus, quotiescunque ſpes erat poſſe ab aliquo percipi uberes induſtriae fructus. Erat ei res rustica, ut temporibus illis, ſane bene culta & fructuoſa, ſed modica, ſi illam conferes cum opibus, quas ex menſis, & ex permutandis pecuniis, & verſuris faciendis habebat. Erunt fortaſſe, qui tam utili labori Coſmi nomen avaritiae imponant. Qui ſi reputaverint & quibus ille temporibus vixit, & quos in uſus pecunias impendit, profecto exiſtimabunt majus commodum ex negotiis illius, quam ex otio multorum Rempublicam cepiſſe. Qui dediti pravis cupidinibus aut ignaviam ſuam tenebrarum ac parietum cuſtodiis tegunt, aut conviviis & omni privato luxu gloriam & gratiam quaerunt, non ſatis admirabuntur hominem, qui quae coloni ſui arabant, quae procuratores exigebant, ſolvebant, navigabant, permutabant, omnia virtuti, modico victu cultuque contentus, parabat. Neque eos audiendos putamus, qui improbant aedificiorum magnificentiam. Illa enim civitatem ornant, familiarum dignitatem augent, & fovent artes, quae oblectant animos, religioni inſerviunt & ad vitae uſus ſunt neceſſariae. Quapropter nihil videmur debere praetermit-

Digitized by Google

tere, quod pertineat ad declarandum quantum pecuniae, quantumque ſtudii in his rebus conſumpſerit Coſmus, quae & gratae & laude dignae fuerunt, ut facile intelligi poſſet tantam pecuniarum vim virum magnum & excelſum congeſſiſſe non propter inertiam laboris, ſed propter magnificentiam liberalitatis.

Ille magni intereſſe ad laudem & decus civitatis exiſtimavit, ut quae Pater ejus Joannes inſtituerat ad amplificandam atque ornandam Laurentianam Baſilicam perficerentur. Illo vivo, a Mathaeo Dolphinio, qui praeerat Canonicorum collegio, aedificatum aliquid fuerat, ſed male adeo, ut magis poeniteret coepiſſe, quam liceret deſiſtere. Itaque Philippus Brunelleſchius architectorum ſuae aetatis facile princeps eidem Joanni auctor fuit, ut pecuniam ad aedem magnificentius extruendam decerneret, quod ſe velle omnino reſpondit. Jacta igitur illius fundamenta fuerunt anno MCCCCXXV. quadriennio ante quam ille e vita decederet. Sed lente ac paullatim, illo vivo, procedebatur, & intermiſſum etiam poſtea ad tredecim annos opus fuit. Demum hanc tarditatem & moram, quam multae res attulerunt, viſus eſt Coſmus quaſi reprehendere & ſubaccuſare, attributiſque ab eo XL uſque florenorum millibus, non templum modo, ſed & aedes, in quibus Canonici habitant, incredibili celeritate exaedificatae ſunt. Tale quidem templum evaſit, ut opinioni, quam omnes habebant de munificentia Coſmi

& de ingenio Brunelleſchii, quos nil niſi magnificum delectabat, plane reſponderit. Plura alia contulit Coſmus ad illius templi & collegii ornamentum & decus, quae ſingula hoc loco commemorare minime neceſſarium arbitramur (126). Poſt id religioſus homo multa alia opera Deo dicata maxima pecunia facienda curavit. Eodem Brunelleſchio architecto, ad radices Feſulani collis templum & coenobium, quod Regulares, ut appellantur, Canonici ad noſtram uſque aetatem incoluere, a fundamentis erexit; & quod multi inter eos erant, qui mirifice colebant litteras, viro doctiſſimo Matthaeo Boſſio omnibus praeeunte, bibliothecam multorum ſane nummorum iiſdem donavit. Erant in ea ceteros inter codices ſcripta hiſtorica Sozomeni civis & canonici Piſtorienſis, qui humaniores litteras Florentiae docuit, cujus eruditiſſimi viri eo libentius mentionem fecimus, quod ſuorum ſtudiorum unum Coſmum ſibi patronum adſciviſſe videbatur. Tota haec librorum copia non multis ab hinc annis in Laurentianam bibliothecam tranſlata eſt. Nec mediocria fuerunt, quae Coſmus tribuit Dominicanae familiae hominibus, qui Florentiae ſunt ad S. Marci. Etenim coenobium ac bibliothecam eo in loco extruxit, picturis ornavit, uſus praeſertim opera Angelici Feſulani non tam pingendi arte, quam vitae ſanctitate illuſtris, abſide templum auxit, & haec hortatore feciſſe traditur Antonino Pieroctio,

antequam is Archiepiſcopus Florentinus crearetur, cui ſane plurimum Coſmus ipſe ac Florentini omnes tribuebant propter doctrinam & morum innocentiam. Aedificavit & monaſterium Florentinum ad S. Verdianae, coenobium & templum Feſulanum, quod S. Hieronymi dicitur, & prope Caſaggiolanum ſuum, quod eſt in Mucellano agro, media in ſilva excitavit templum & coenobium, quod Franciſcanis cum bibliotheca attribuit. Sacellis atque aris, omnique ſacrae ſupellectilis genere exornavit aedes B. Virginis ab Angelo Salutatae, S. Crucis, S. Miniatis atque Angelorum. Hieroſolymis, quo noſtri homines exciperentur, qui eo religionis caussa accederent; xenodocheum ſuis ſumptibus aedificavit, certo aſſignato agro, ex cujus vectigalibus, quae ad illos alendos neceſſaria eſſent, ſuppeditarentur. Saluberrimam aquam Aſſiſium deduxit, ut incolarum & religioſorum peregrinatorum commodo inſerviret; acceſſionem adjunxit Franciſcanorum coenobio, & viam ſtravit, quae ducit ab aede S. Mariae Angelorum ad ipſam urbem. Supra commemoravimus quae, Venetiis dum erat, Benedictinis monachis conceſſit, et ex litteris Franciſci Barbari conjici poteſt (127) quaedam etiam Carthuſianis coenobitis ipſum largitum fuiſſe. Teſtatur Ambroſius Camaldulenſis ſingularia fuiſſe beneficia, quae Coſmus omni tempore contulit ſuis monachis, ſolitus nihil denegare quod dono dignum erat. Atque

haec religionis ergo, in quibus, quo minus gloriam quaerebat, eo magis conſequebatur. Quanquam caverit ſemper Coſmus, ne extra modum ſumptu & magnificentia prodiret, quo in genere multum mali eſt etiam in exemplo, quod ſtudioſe plerique facta Principum imitentur, cum tamen domum in via, quae dicitur Lata, vellet aedificare, curam dignitatis adhibendam putavit. Non ex domo, ut ait Cicero, dignitas tota quaerenda eſt, ſed etiam dignitas domo ornanda; & ſane multis ſummis viris honori fuiſſe accepimus, vel quando ii erant mores Romanorum, ut non divitiis & ſumptibus, ſed probitate & induſtria inter ſe contenderent, quod praeclaram aedificaſſent. Binos hac in re conſuluit Coſmus magni nominis architectos Brunelleſchium & Michelottium. Hic dignitatis commoditatiſque rationem habuit, ille laxitatis, quod in domum clariſſimi civis hoſpites multi recipiendi eſſent, & admittenda hominum cujuſque generis multitudo. Tum autem ab amicis exquirere coepit Coſmus quam deſcriptionem ipſi praetuliſſent, & quod multi inter eos fuerunt, qui cenſuere regiam magis quam privatam domum deſcripſiſſe Brunelleſchium, & illam in libera civitate maximam invidiam habituram, deliberavit adhibere modum in ipſa magnificentia, ut hanc ad communem uſum cultumque vitae referre videretur. Talis tamen domus fuit, quae an. MCCCCXL. abſoluta eſt, qualem hominis honorati & prin-

Digitized by Google

principis decuit eſſe tum ad ſpeciem & dignitatem, tum ad commodum; & ex ea Michelottius, quamvis quaedam peccavit, magnam laudem conſecutus eſt. Minime patienter tulit Brunelleſchius quod hic ſibi praelatus fuerit, & iracunde rabioſeque, quam fecerat, deſcriptionem aedificii diſcidiſſe dicitur. Haec domus, quam nunc Riccardii poſſident, a praetereuntibus ſic inſpicitur tanquam ſacrarium aliquod, in quo muſae omnes, omneſque liberales artes a Coſmo ejuſque liberis & nepotibus munificentissime cultae habitarunt. Ornabant has ipſas aedes librorum copia (128), vaſa magnifice & pretioſe caelata, gemmae, lapides affabre inciſi (129), antiquitatis monumenta, quorum ſtudioſiſſimus erat Coſmus, quaeque undique conquiſierat, ſtatuae, opera anaglyptica, tabulae & multa, quae artifices peritiſſimi pingendi, fingendi ſcalpendique, quorum tum plurimi Florentiae erant, elaboraverant. In villis etiam magnificus & elegans videri voluit Coſmus, ſic ut qui virtutem civis mediocritate quadam metirentur, ei, ut olim Lucullo Romani, objicerent horum aedificiorum amplitudinem. Caſaggiolanum, Careggianum, Trebbianum & Feſulanum a fundamentis excitavit, & quod ea erant tempora turbulenta atque periculoſa, ut tute ac tranquille in iis habitare poſſet, ipſa turribus munivit. Commodabat haec interdum amicis, praeſertim ſi ex iis eſſent, qui otium quaerebant, ut liberius litteris va-

carent, quod de ſe ipſo Marſilius Ficinius teſtatus eſt.

Atque in his extruendis aedificiis Coſmus praeſertim uſus eſt opera Michelottii. Amabat hominem carumque habebat non modo propter ejus ingenium (omnium enim judicio in architectandi arte neminem, niſi Brunelleſchium, ſuperiorem habebat) ſed etiam propter optimam & ſpectatam fidem. Quando in exilium ille pulſus eſt, habuit calamitatis ſocium Michelottium, qui ajebat ſibi illam cauſſam doloris & timoris & periculi communem eſſe. Curavit Coſmus, ut ejus ingenium noſcerent Veneti & probarent, & is celeriter ad multa aedificia adhiberi eſt coeptus. Quae quod ei famam confecere, idem ſibi eveniſſe, ſubridens ajebat, quod Coſmo, qui licet princeps pace belloque prius quam exulatum iret, clarior tamen in exilio fuit, vel honoribus, quos accepit, vel deſiderio patriae, vel felicitate, qua in illam reſtitutus eſt. Auctor eſt Philaretes Coſmum uſum etiam fuiſſe Michelottii opera in augendis ornandiſque aedibus, quae erant Mediolani, quaſque dono acceperat a Franciſco Sfortia, cum honorificentissimo decreto ipſe ejuſque liberi in Mediolanenſem civitatem adſciti fuiſſent (130). Ut ſibi gratiſſimum fuiſſe donum declararet, magnos ſumptus in eas fecit, & Vincentius Zoppa in iiſdem ſatis belle pinxiſſe dicitur multas tabulas, quae exhibebant facta Trajani aliorumque Caeſarum, & in quibus erant imagines multorum virorum belli & pacis

artibus illuſtrium. Illorum in numero primam poſuit Michelottius imaginem Coſmi, & ipſam per ſe pinxit, quamvis hac arte non admodum valeret. Diſtinguebant vero ornamenta ex marmore & ligno ſacta aut Falco, aut Adamas, qui ipſum Coſmum ſignabant. Quanquam hic viveret conjunctiſſime cum Michelottio, eique multum tribueret, magis tamen ſuſpiciebat Brunelleſchium (131), & id, quod erat difficillimum, efficiebat, ut inter quos laudis eſſet aemulatio, nulla intercederet obtrectatio, eſſetque talium virorum ad magnificis operibus exornandam urbem copula. Omnino fatebatur Coſmus hunc a ſe majorem architectum cognitum, quam quemquam eorum quos vidiſſet, aut legiſſet, tantaque in conſtituendis ornandiſque aedificiis prudentia fuiſſe, ut qui ejus veſtigia minime perſequerentur, neceſſe eſſet eos recidere in eaſdem tenebras, in quibus ad illa uſque tempora Architecti omnes miſere jacuiſſe videbantur. Fortaſſe illum poenituit, quod & a Georgio Vaſario traditum eſt, ſe minime illius conſilium ſecutum eſſe in ſua aedificanda urbana domo, praeſertim cum ſibi adeo ſatisfeciſſet in Laurentiana Baſilica, & in S. Bartholomaei aede & coenobio, ut nihil melius quaereret. Is, qui vivo ſemper tribuerat officia vel in mediocritate fortunae, vel in obtrectatione invidiae, mortuum monumento honorandum curavit, quod eſt in principe Florentina Eccleſia, quae ab illo majus ſuum

ornamentum (quid enim nobilius atque elegantius ejuſdem tholo non dicam fieri, ſed ne cogitari quidem unquam potuit?) acceperat. Multi ſunt alii architecti, quorum memoriam non modo illa aetas, ſed etiam conſequentes exceperunt, qui a Coſmo honorati atque adhibiti fuere; quodque eos hortabatur, ut antiquorum bene inventis obtemperarent, & ex optimis naturae principiis & veritatis exemplis praecepta peterent, de nobiliſſima utiliſſimaque arte optime illum meritum fuiſſe judicabimus. Nec minus illi debuit Pictura, quae per Florentinos artifices illius cohortationibus atque beneficiis maxime excitatos ad novam, ut ita dicam, vitam revocata fuit. Illorum princeps Maſaccius, quem non imitari puduit vel ipſum Raphaelem Urbinatem, et Michaelem Angelum Bonarrotium, ut Coſmum ab exilio revocatum audivit, Roma Florentiam rediit, hancque nobiliſſimis picturis ornavit. Non ſatis tamen illae celebratae fuerunt, niſi quando mors extinxit invidiam, de quo cum quereretur Coſmus cum Brunelleſchio, videbatur miſereri magnorum virorum fortunam, quod eos, velut umbra corpus, ſemper comitetur invidia. Ad Maſaccium proximus accedebat Philippus Lippius, ſed longo intervallo, tamen proximus. Qui ſine illius comparatione hujus opera ſpectat, ſatis magna dicit: non parum elegans in figuris, ſatis uber in reperiendis & ſolutus in explicandis hiſtoriis, ut temporibus illis, peritus pulchre effin-

gendi omnes corporis humani partes, bene etiam colorabat; tam bonus denique pictor erat, ut illius aetatis homines neſcirent quid ei addi poſſet. Hunc amiciſſime ſemper amplexus eſt Coſmus, plurimi fecit, atque ſaepiſſime exercuit. Quod erat levitatibus amatoriis deditiſſimus, quibus ut indulgeret, interdum quod promiſerat, minime praeſtabat, Coſmus eum aliquando in celſiſſimam domus ſuae cellam concluſit; ſed cum vidiſſet minus eum affabre pingere, quoties praecidebatur ipſi iſta licentia libertaſque vivendi, eamque ut recuperaret, magnum adiiſſe vitae periculum (ex linteo enim ſcalis factis, e ſuperiore aedium parte noctu deſcendit) non amplius vi, ſed blanditiis & donis diſſolutum hominem ad pingendum invitavit. Quod ipſe praeſertim excellebat in parvis figuris exprimendis, ex multis elegantiſſimis hujus generis tabulis quaſdam Coſmus delegit, quas Eugenio IV. dono daret. Accepit ille libentiſſime munus, & artifici multa ſigna amoris dedit. Factum eſt etiam auctoritate & teſtimonio Coſmi, ut ipſe Spoletum vocaretur ad pingendum ſacellum B. V. dicatum in principe Aede, qua in urbe vitam finivit, fuitque ſuſpicio ei venenum dediſſe propinquos mulieris cujuſdam, quam perdite amabat. Cum hoc percrebuiſſet fovere Coſmum omnes praeclaros artifices, qui horum operam expetebant, abſentes Principes cum illo ſic agebant, ut omnes intelligerent ab illius judicio & conſilio pendere multorum

famam atque fortunam; ob eamque cauſſam omnes fere ſe ipſos illi penitus dediderunt, quos non ſolum liberaliter adhibebat, ſed optimum quemque hoſpitio atque amicitia ſibi copulabat.

Perpauci tum egregie ſculpebant. Haec ars ad priſtinae elegantiae ſpem revixiſſe viſa eſt opera Donatelli, qui ſive ſtatuas, ſive anaglypta faceret, ea erat conformatio partium omnium, is motus, ea elegantia, ea compoſitio, ut nihil iis deeſſe tum judicaretur. Idque eo mirabilius erat, quod ſero allata fuerunt Florentiam antiqua quaedam monumenta, quae ipſe ceterique artifices imitarentur. Teſtatur Vaſarius hoc curaſſe Coſmum, ipſo Donatello auctore, qui quae tempus & barbaries ab iis abſtulerant, reſtituit. Tam intelligere homines coeperunt egere ſe hac norma & regula; non ſatis eſſe naturam imitari; majus aliquid eſſe in arte, quod tantam habet pulcritudinem, ut nihil ſimile in natura ipſa inveniatur; fuiſſe Graecos ſculptores hujus perfectionis & auctores & magiſtros; & ita anaglypta elaboranda, ut quemadmodum ſonorum varia compoſitio harmonias efficit plures, ſic multiplex figurarum diſpoſitio ſerviat varietati atque ſuavitati. Quod lente & per gradus quoſdam ad id pervenire homines ſolent, quod abſolutum ſit omnibus ſuis numeris & partibus, quamvis aetatem Coſmi multi praeſtantiſſimi architecti, pictores & ſculptores illuſtrem fecerint, defuit iis tamen ille lepor, illa venu-

ſtas, illa charites, illud ultimum ac perfectum, quod tantopere in conſequentis ſaeculi artificibus admirati ſumus. Hic gradus fuiſſe ſecundus videtur eorum, qui ſtudium liberalium artium, quae ad graphicen pertinent, longo intervallo intermiſſum revocarunt. Sed ad Donatellum revertor, in quo cum Coſmus ſibi videretur videre inſignem ſpeciem quaſi reviviſcentis ſculpturae, multum ipſum adhibuit tum ad Laurentianum templum, tum ad domum ſuam exornandam. Diligentes ſunt deſcriptores illius operum Vaſarius, Migliorius, Borghinius aliique plures, qui Coſmo etiam laudatore et teſte uſi ſunt, ut tanti ſculptoris excellentiam magis magiſque comprobarent. Cum ad ſummam ſenectutem perveniſſet, & paralyſi impediretur ab arte, quam profitebatur, exercenda, & pecuniae eſſet egentiſſimus (hanc enim ſemper contempſerat, omnia cum amicis & diſcipulis habens communia) ſuſtentabatur liberalitate Coſmi, qui et moriens cariſſimum virum Petro Filio commendavit: Donatus ille praedio, unde panem & vinum haberet (his enim verbis uſus Petrus fuiſſe dicitur) illud anno poſt reddidit patrono ſuo, quod ajebat talibus rebus carere minus ſibi moleſtum eſſe. Sed non propterea Petrus illum egere ſivit, cujus liberalitatis tanta erat commendatio, ut Patrem aequare putaretur. Par, aut fortaſſe ſuperior erat Donatello ille Laurentius Ghibertus, qui affabre adeo tantoque artificio aeneas templi

S. Joannis portas fecit, ut ſuperorum ſede illas dignas eſſe judicaverit Bonarrotius, & hic quoque a Coſmo liberaliter atque honorifice tractatus, multiſque in rebus adhibitus fuit. Cum is e Caſentino in Florentinam aedem Angelorum intuliſſet corpora diu neglecta Sanctorum Martyrum Proti, Hyacinthi & Nemeſii aereos loculos per Ghibertum faciendos curavit; atque hoc unum exempli cauſſa e multis ſelegimus, quod non judicium modo & liberalitatem, ſed etiam religionem Coſmi declarat. Cum ille multorum artificum opera contemplabatur, ſatis intelligebat quae dura eſſent, quae molliora, quae ad veritatem adducta eſſent, quae ab illa declinarent; & cum in ſculptorem incidiſſet, qui gaudere ſe dicebat, quod imitatus eſſet antiquum Marſiae ſignum, dum Chriſtum fingebat; *utinam*, reſpondit, *non oſſa ſolum, ſed etiam ſanguinem*. His artibus Coſmus non modo opinionem vicit omnium, quae de ejus ingenio liberalitateque erat, ſed etiam gloriam ſuperiorum; idque eo fuit mirabilius, quod cum ejus vita perpetuis fluctibus jactata fuiſſet, nunquam tamen neglexit ſtudium liberalium artium, quae tantummodo otioſorum hominum pabulum eſſe ſolent. Quapropter haec vere ſcripta a Paullo Jovio fuiſſe putamus: *Nunquam eum inſtitutae liberalitatis poenituit; nullus unquam aedificandi ſumptus eum deterruit, nullus unquam vel adverſus fortunis ejus caſus popularis beneficentiae curſum interrupit. Conſtat*

ex

ex adverſariis rationum codicibus, quos ipſi vidimus, Coſmum ſupra quadraginta myriades aureorum nummum in privata & publica aedificia contuliſſe: piae vero aut occultae largitionis ſumptum myriadum decem ſummam exceſſiſſe. Sic cum Coſmus non deſiſteret quibuſcumque rebus poſſet patriam juvare & ornare, interdum etiam ejus nomine munera ſummo artificio elaborata mittebat Regibus & Dynaſtis, quae indicabant ſtudium elegantiae non eſſe commune Italiae, ſed proprium Florentinorum. Itaque praedicabat mirari ſe, non perniciosorum civium numero eos haberi, qui nullam aliam laudem ac gloriam niſi in armis quaerebant, quique artes, quas ignorabant, inertes illiberaleſque vocabant. Et ſi quondam Romanis glorioſum fuit ab aratro vocare homines, qui ſummos magiſtratus gererent, non inglorium fuiſſe Florentinis arbitrabimur; hos ipſos interdum mandaſſe iis, qui vitam in officinis contriverant.

Quod nonnulli erant, qui aegre ferebant ſe ingenio, divitiis, auctoritate atque amore populi a Coſmo ſuperari, in Republica reſidere ſemper aliqua videbatur conjuratorum manus. Huic facile reſiſtere ille poterat, ſed cum longiſſime reſpiceret ſpatium futuri temporis, neque in animo Petri Filii magnum aliquid & robuſtum eſſe videret, unde ille familiae potentiam confirmare, aut ubi lapſa fuiſſet, ad priſtinum ſtatum revocare poſſet, non levi cruciatu timoris angebatur.

Digitized by Google

Magnam ſpem collocaverat in Joannis virtute, quae non modo ſibi honori, ſed etiam uſui Reipublicae eſſe potuiſſet, ſed cum illius immatura mors, ineunte Novembri an. MCCCCLXIII. accidiſſet (132), neque ullos ex ſe liberos reliquiſſet (unicus enim, quem ſuſceperat Coſmi nomine, ſeptennis an. MCCCCLII. XV. Kal. Decembris obierat (133)), exclamaſſe dicitur: *o falſas ſpes! o nimis lata domus tam modicae familiae!* Tum enim minime divinare poterat qualis futurus eſſet Laurentius nepos, etſi magna indoles virtutis & ingenii in illo appareret. Sed quia ab hominibus doctis acceperat, nullum eſſe tam grave malum, quod patientia & exercitationes animi levare non poſſint, propterea & otio fruebatur, non illo quidem, quo debebat is, qui peperiſſet otium patriae, & illa perſequebatur ſtudia, quae familiae & civitatis decus conſervarent. Et ſi a coetu hominum frequentiaque interdum, tanquam in portum, ſe in ſolitudinem recipiebat, minime tamen ceſſabat de Republica cogitare, ut omnia, quae illi conducebant, curare, non modo ſapientiae, ſed etiam felicitatis diceret ſibi videri.

Aegre ferebant Florentini retineri ab Alphonſo Aragonio Caſtilionem Peſcariae tanquam pignus praeteritarum injuriarum, & aegrius etiam ferebant oppidani ſe crudeliter tractari a regiis militibus ibi in praeſidio collocatis, quare, impetu in eos facto, fugere coegerunt, ſeque Reipublicae dediderunt. Coſmus in

id omni cura intentus, ne ulla daretur Regi cauſſa novi movendi belli, cenſuit ad ipſum mittendas litteras, quibus certior fieret placere Reipublicae oppidum illius nomine retineri. Id gratum acceptumque habuit Alphonſus, confirmavitque ſe propenſiſſima voluntate eſſe ad bene de Florentinis merendum, pacemque cum iis ſervandam. Hos enim in tali tempore offenſos habere nolebat, cum in ſpem veniſſet expugnandae Genuae, expellendique ex ea Fregoſios, ſpecie Adornios in priſtinam auctoritatem reſtituendi. Petrus Fregoſius, qui in ea dominabatur, cum ſe parem tanto hoſti minime fore intelligeret, legatum miſit ad Carolum vii. Gallorum Regem, orans ut ſe in fidem, & urbem in poteſtatem ſuam reciperet: ni propere veniſſet, hanc ſub hoſtium imperium caſuram. Carolus rem Genuenſem ſibi curae fore pollicitus, miſit eo Joannem Andegavenſem, qui, occupata urbis poſſeſſione, id etiam ſperare ac moliri videbatur, ut paterna jura in Neapolitanum regnum tueretur. Tum Alphonſum vehementer poenituit, ſe Genuenſium rerum cauſſa formidandum hoſtem in Italiam advocaſſe, & in hac poenitentia diem obiit ſupremum. In hoc viro magna vis animi ingeniique fuit; fortis erat ad pericula, rei militaris peritiſſimus, idem, quod difficillimum eſt, cautus & prudens (nam providentia timorem, audacia temeritatem adferre plerumque ſolet) ad ſimulanda negotia callidus, amicitia facilis,

Digitized by Google

multarum rerum ac maxime pecuniae largitor, atque illi feliciſſimo omnium in acquirendo ampliſſimo regno nunquam ſuper induſtriam fortuna fuit, multique dubitavere fortior, an felicior eſſet. Simultates nimio plures & exercuerunt eum, & ipſe exercuit eas, nec facile dixeris, utrum eum magis preſſerint interni externique hoſtes, an ille agitaverit eos. Nec ſenectus quidem, quae frangit omnia, robur ejus corporis animique imminuit. Idem non minor in pace, quam in bello fuit. Amabat litteras & praeclara ingenia, delectabatur publica magnificentia, ut Romanos ipſos apparatu ſpectaculorum aequare putaretur; ſingulari quamvis caritate eſſet in ſuos, nunquam tamen in eorum obitu, ut nec in ceteris rebus aſperis, perturbatus eſt; omnino talis erat, ut nulla ars neque publicae, neque privatae rei bene gerendae illi deeſſe videretur. Illius filius & heres Ferdinandus cum praevideret fore, ut in maximis turbinibus ac fluctibus regni navem gubernaret, declaravit Florentinis nunquam ſe paterni foederis religionem violaturum. Multum is timebat a Calliſto Summo Pontifice, qui cum inimiciſſimo ſemper animo fuiſſet in Alphonſum Regem, filium ex juſtis nuptiis minime natum deturbare regni poſſeſſione volebat, ſpecie jus Sedis Apoſtolicae perſequendi. Sed mors illius a Republica conatus avertit, atque cupiditatem extinxit aliena ruina fortunam fratris filii amplificandi. Succeſſit in illius locum Pii II. nomine

Aeneas Sylvius Piccolomineus Senenſis, quem natura & litterae ad pacem humanitatemque formaverant. Hic & aequum & utile judicavit ſi Ferdinandum in regni poſſeſſione confirmaſſet, quod non ipſe modo ſubmiſſe, ſed & Franciſcus Sfortia, atque Coſmus vehementiſſime poſtularunt. Sciebant enim hi quantum intereſſet non mutari ſtatum Italiae, neque plus aequo augeri potentiam eorum, qui in illa dominabantur; & qui de hujus, ut ita dicam, politicae aequilibritatis utilitate ſcripſere, ejus non ſolum praecipuos, ſed & primos auctores & magiſtros Coſmum & Laurentium Mediceos facile agnoſcunt. Ut univerſus hic mundus omnibus partibus inter ſe congruentibus, aequaliterque diſtributis cohaeret ac nititur, ſic in Imperiis aequabilis tributio eſſe deberet virium ac voluntatum, quarum conſpiratione ſummi rectores ſe ſe mutuo adverſus eos, qui dum nimia concupiſcunt, aequitatis fines tranſire non dubitant, defendere poſſent.

Pontifex, rebus Italicis compoſitis, omnia ſua ſtudia contulit ad inflammandos Chriſtianos Principes, ut conjunctis animis ac viribus obſiſterent atque occurrerent audaciſſimis Turcarum conſiliis. Ea propter Mantuam cogitavit, quo conventuros multos eorum, aut ſaltem legatos ſuos miſſuros ſperabat, ut deliberarent de ratione belli adminiſtrandi. Ubi nunciatum eſt illum per Etruriam iter facturum, venerunt Florentiam Arimini, F ori Livii & Carpi Domini, Urbi-

Digitized by Google

ni Comitis Frater, & Joannes Galeatius Sfortia, qui major natu erat liberorum Franciſci Ducis. Hic in domo habitavit Coſmi, qui nullum reliquit officium, nullique pepercit ſumptui, ut tantum hoſpitem honoraret, & cum eo iiſdem vinculis, quibus cum Patre erat colligatus, adſtringeretur. Quod nihil apud Coſmum viderit niſi lautum, elegans, ſplendidum & exquiſitum, admiratione obſtupefactus ab illo diſceſſiſſe narratur. Fecit & Reſpublica ludos apparatiſſimos, ut nunquam ſumptuoſiores antea feciſſe conſtaret. Atque non minus liberale hoſpitium fuit, quod Pontifici ceteriſque Principibus paravit. Quae quidem valebant non modo ad ſtudia eorum, quos honorabat, acquirenda, ſed etiam ad gloriam adipiſcendam, ſic ut Florentini conſuetudine beneficentiae paratiores, & tanquam exercitatiores ad bene de multis promerendum eſſe viderentur. Qui effuſiones pecuniarum non admirantur in apparandis ſpectaculis, quibus ii deliniri poſſe putarunt Galeatium florentem aetate, fortuna & opibus, & nil probant, niſi quod ad uſum Reipublicae pertinet, laudabunt profecto noſtrorum prudentiam, qui fructum divitiarum putarunt non modo talium ſumptuum facultatem, quando dignitas Reipublicae id exigere videbatur, ſed etiam illorum meliorum, quibus civium commodis, & horum utilitati ſalutique conſulebant. Ex his commemorare lubet quos decreverunt, ut navigabilis eſſet Arnus ad

comportanda ex mari, quae uſui eſſent civitati, quae res magna ſane & ardua, fruſtra aliis temporibus tentata, non modo ſuadente, ſed etiam gubernante Coſmo cum aliis primariis civibus, ad exitum adducta fuit. Extant in tabulario Mediceo litterae cujuſdam Gabrielis de Poetis Bononienſis datae an. MCCCCLVIII. ad Joannem ejuſdem Filium, ex quibus apparet eum conſiliarium glorioſiſſimi operis fuiſſe, rationemque conſilii ſui ſcripto expoſuiſſe. Haec ſane erant permagna ad laetitiam Coſmi, qui in eam benignitatis conſuetudinem jam venerat, ut illum diem ſe amiſiſſe putaret, quo non ſerviret patriae commodis.

Haec praeſertim viſa eſt implorare atque efflagitare auxilium Coſmi tum cum a Joanne Andegavenſi, atque a Ferdinando Aragonio, inter quos magnum & crudele bellum fore judicabatur, legati Florentiam miſſi ſunt ſubſidia pecuniae petentes. Fit Senatus conſultum, ut reſpiciatur gratia Gallorum, & Joanni quotannis ad belli ſumptus ſuſtinendos octuaginta florenorum millia ſolvantur. Coſmus errorem illorum, qui ita putarunt, libere coarguit, & multis argumentis probavit nil niſi de Franciſci Sfortiae ſententia agendum, conſulendos etiam Venetos, & quae dixit & fecit tanti fuerunt, ut abrogaretur decretum, quod Reipublicae profecto periculoſum futurum fuiſſet. Reſponſum itaque Legatis fuit, ut eam pacem, qua fruebatur Reſpublica, conſervare ipſam paterentur; huic

Digitized by Google

ſemper fuiſſe propoſitum, ne ſe immiſceret Neapolitanis bellis, atque tribuerent publici aerarii anguſtiis recuſationem pecuniae. In hoc Joannes redarguit inconſtantiam Florentinorum, Ferdinandus vero infidelitatem, quas accuſationes ut ab ſe removerent, multis ſcriptis probarunt, ſe id facere, quod erat aequum, & Reipublicae ac totius Italiae rationibus accommodatiſſimum. Satis hac re Senatus declaravit plus apud ſe valere unius Coſmi, quam ceterorum vocem & voluntatem. Quo tamen non frangebantur animi inimicorum ejus, ſed admonebantur, ut majores pararent neceſſitudines, quibus cogi poſſent magiſtratus id probare, quod ipſis placuiſſet. Hi tanquam artifices improbi opus quaerebant, qui & ſemper aegri aliquid eſſe in Republica affirmabant, ut ad ejus curationem adhiberentur. Ex his mulctati exilio fuerunt Hieronymns Machiavellius, Antonius Barbadorius, & Carolus Benitius, qui nimis multa movere tentaverant, aliique, quibus minime audacia defuerat calumniandi Coſmum, pecunia poenas luerunt. Atque harum animadverſionum ſuaſor & auctor fuit Lucas Pittius, quando is ſummum magiſtratum gerebat. Homo ſane erat callidus & audax, ſimulavitque tum ſe ſtudioſum eſſe Coſmi ad captandam populi benevolentiam. Novum illum induiſſe ingenium dixiſſes; nam antea extiterat Coſmi laudum invidus adeo, ut hac de cauſſa ſubierit interdum iracundiam populi; & quaſi ab illo ſe ulla in re ſuperari

rari nollet, domum ejuſmodi aedificaverat, quae magnificentia regiam aequabat. His aliiſque artibus effecit, ut nullus ei honos deeſſet, neque ulla hoc tempore res gereretur publica, de qua prius decerneretur, quam Pittii ſententia cognita. Ad id plurimi illum patronum unum ſibi adoptabant, donis etiam ejuſdem ſtudia emebant, & quae in liberis praeſertim civitatibus honorificentiſſima putantur, ſalutari, appeti, decedi, aſſurgi, deduci, reduci, conſuli, ſic ei tribuebantur, ut in republica rex eſſe videretur. Quo artes ſpectarent Pittii haud poterat ignorare Coſmus, & cum recordabatur ex truci ſaevoque inſectatore plebis repente omnis aurae popularis mirificum captatorem illum evaſiſſe, praeſentiebat quae idem in poſterum esset tentaturus. Quem gereret animum indicabat etiam emblema, quo ipſe utebatur. Tormentum erat bellicum igneam a ſe pilam projciens, quae quod pertinebat ad ſtemma Mediceorum, quam hi vim & fortunam aliquando experiri debuiſſent haud dubie emblemate illo Pittius declarabat. Nihilo tamen minus quod periculoſum erat nimis aperte obviam ire Coſmi potentiae, cum illo ſic agebat, ut ficti ſolent amici. Exſpectandum enim tempus arbitrabatur dum homo, qui ſenex jam factus erat, & qui ſtomachi & urinae morbis coeperat tentari, & qui ſaepe podagrae doloribus ardebat, ex vita migraret. Quem poſtea exitum foeda & pernicioſa ejus conſilia habuerunt, in Lau-

Digitized by Google

rentii vita, ad quam ſpectant, perſecuti ſumus, ex qua cognoſci poterit fortunam ac prudentiam non parem in Pittio fuiſſe ambitioni animoque.

His rebus permotus Coſmus vigilanter ſe tuebatur, idemque praeſtabat, ut eſſet bonorum conſpiratio atque conſenſus ad defendendam libertatem. Id vero non poterat non vehementer dolere, quod quando non habebant Florentini externos hoſtes, quibuſcum dimicarent, novarum rerum cauſſas quaerentes facile inteſtinas atque domeſticas concitarent diſcordias. Itaque qui ei dant culpae, quod interdum viſus ſit alere bella, propterea quia id conducebat ad potentiam ſuam, iidem fateantur neceſſe eſt, hac re maxime ipſum conſuluiſſe patriae incolumitati & gloriae. Sed nihil in liberis civitatibus tam eſt commune quam invidiae, odia, diſſenſiones, atque ob eas non modo malorum, ſed & benemerentium civium expulſiones, calamitates, fugae, rurſuſque ſecundae res, honores, imperia ac victoriae de inimicis. Quapropter is prudens dicendus eſt, qui ſine publicae rei detrimento hominum ſtudia ad utilitates ſuas allicere atque excitare potuit, atque cum multum diuque vixerit, nunquam neque hominibus, neque perturbationi animi, neque fortunae ſuccumbens, mirificos attulit fructus auctoritate, gratia, conſilio, gloriaque ſemper claruit bene geſtae Reipublicae. Quanta conſtantia reſtitit iis, quorum ſententia inclinabat ad ſubſidia ferenda Ferdinando Aragonio,

Digitized by Google

qui ea ſaepe vehementiſſime petiit, cum multa adverſa ei accidiſſent in bello, quod per quadriennium cum Joanne Andegavenſi ſuſtinere coactus fuit? Quanquam inde magnam Regis in ſe ſuoſque omnes concitari offenſionem intelligeret Coſmus, quia e Republica magis eſſe putabat non irritari Gallos, non dubitavit dicere illa, quae quondam Appius Claudius ſenex Ennianis verſibus dixiſſe fertur:

Quo vobis mentes, rectae quae ſtare ſolebant
Antehac, dementi ſe ſe flexere ruina?

Horum, aliorumque hujuſmodi benefactorum recordatio, & conſcientia bene actae vitae ſane jucundiſſimae Coſmo erant; & cum ex eo quaereretur quamdiu vellet eſſe in vita: *tamdiu*, inquit, *dum ea, quae animo & mente concepi ad augendam Rempublicam & hoc imperium, ad exitum adducere poſſim.* Quo ſane dicto innuebat maxime deſiderium, quod ſemper aluerat, ſubigendi Lucenſes, cujus obtinendi quod ſpem feſellerat Franciſcus Sfortia (promiſerat enim, compoſitis Inſubrium rebus, ſe primo quoque tempore in illam expeditionem exercitum eduċturum) ſaepe ille queri auditus eſt, beneficia ſe maxima in ingrato homine collocaſſe (134) quae minime continere nimium cupidi animi anguſtiae poſſent. Sed erant per ſe magna cetera, quae geſſerat Coſmus, nec facile invenies privatum

hominem, qui aut fortunae indulgentia, aut ſtudiis ſuorum, aut propria virtute tantum ſibi gloriae ac nominis pepererit.

Nec vero ille in luce modo atque in oculis civium magnus, ſed intus domique praeſtantior. Qui ſermones! quae praecepta! quanta rerum publicarum notitia! Omnia memoria tenebat, non domeſtica ſolum, ſed etiam externa bella, & de inſtantibus rebus veriſſime judicabat, & de futuris callidissime conjiciebat. Cujus ſermone ita tum cupide multi boni cives fruebantur, quaſi divinarent, illo extincto, fore neminem, unde diſcerent. Nihil ſane admirabilius quam quommodo ille extremam aetatem egit. Multos beneficiis ſingularibus placavit, in quibus aliquas in ſe reſidere ſimultatis reliquias ſentiebat. Effecit ut temeritatis ſuae poenituerit vel illum ferocem hominem Franciſcum Philelphum, cujus filius Jo. Marius Latina poeſi clariſſimus carmen de Coſmi laudibus compoſuit, quod *Coſmias* inſcripſit & in duos libros diſtribuit. Ex hoc apparet Franciſcum ſtimulaſſe filium, ut ſummae ſuae aſperitatis ac licentiae (multis enim millibus verſuum in Coſmum alioſque Mediceos debacchatus fuerat) odium deprecaretur, ſibique illum reconciliaret. Ait enim in initio operis (135).

. . . . . . Solus ſtimulante tot unus
Inter eos vates, quos gentis fama Latinae

Digitized by Google

Evehit in coelum, priſcorum nomine dignus
Franciſcus Graiique decus, Latiique . . . . .
Nominis, hic vates inter rapiente tot unus
Tiſiphone in Coſmon laeſus furialibus hydris
Scripſit, & in Divum labem commiſit Averni,
Sive fuit ratio pungentis corda doloris,
Sive & amicitia, ductis & honore Camoenis,
Quorum magna fuit quondam res geſta Senatus.
Quem quum ſaepe mihi laeter ſtatuiſſe parentem
Fata virum, cui ſecla parem non ulla dederunt,
Tam doleo Coſmi luctatum laudibus olim.
Nunc meliore animo, graviore & ſingula ſenſu
Corrigit, inque ſuum recipit ſua prima tumultum.
Quae ſi abolere queam nihil eſt, quo laetior eſſe
Mens valeat, ne forte viro, cui quiſque Deorum
Tradidit inſignis manifeſto numine laudes,
Atque duae fovere Deae, nocuiſſe Philelphus
Ore queat, calamoque truci, cui nulla ſub orbe
Eſt labes tribuenda viro, ſi Coſman honore
Adficeret &c.

Fuerunt alii aſperi procul dubio animi, & linguae acerbae & immodice liberae, qui quod a laedendo Coſmo praemia ſperaverant, minimeque obtinuerant, repente commutati ſunt, ut manſuetudo animi ac verecundia aſperitatem conſecutae fuiſſe viderentur. Quae vero faciebat Coſmus vel ad placandos

inimicos, vel ad comparandos retinendoſque amicos non ſolum humanitati, ſed etiam religioni tribuebat. Hanc enim ſemper, ſed praeſertim ingraveſcente aetate, ſancte ac pie coluit. Ea propter ſaepe erat cum hominibus, quos vitae innocentia ac ſanctitas commendabat, ut eorum ſermonibus & exemplo fieret melior. Cum Timotheo Maffeio Veronenſi, qui erat e Canonicis Regularibus, ut loquuntur, unus, idemque ſacra eloquentia celebratiſſimus, quotannis complures dies in Feſulano S. Matthaei coenobio ita verſabatur, ut nulla niſi divinarum rerum cura tangi videretur. Secedebat etiam interdum in S. Marci coenobium, quod tum multi & morati & docti homines decorabant. Nihil non his concedebat Coſmus; negligebat vero deſidioſos, clamoſos, leves, ſupercilioſos, qui ſordida veſte obtegunt diſſolutos mores, aut fictam vendunt ſanctimoniam.

Liberalium artium & diſciplinarum ſtudia, quae vel ab adoleſcentia coluerat Coſmus, quaeque animo ipſum retinuiſſe diximus iis etiam turbulentis temporibus, quibus ſui atque patriae incolumitati proſpicere coactus fuerat, pacatioribus ſic fovit, ut levationem aegritudinum, & curarum requiem ab iis peteret. Recipiebat ad epulas illuſtriores artifices & ſapientiae doctores, & ſaepe verſabatur in Careggiano cum Platonicis ſuis, beatum cum Platone illum appellans, cui etiam in ſenectute contigerit, ut ſapien-

Digitized by Google

tiam, veraſque opiniones aſſequi poſſet. Ex iis, qui tum & poſtea fuerunt, laudantur maxime a Marſilio Ficinio Michael Mercatus, Antonius Caniſianius, Joannes Cavalcantius, Matthaeus Corſinius, Antonius Seraphicus, Locterius Neronius, Peregrinus & Antonius Allii, Bartholomaeus & Franciſcus Vallorii, Bernardus Nutius, Baccius Ugolinius, Bernardus & Nicolaus Michelottii, Laurentius Lippius & Cherubinus Quarqualius. Feſtiva acroamata, joci & facetiae, in quibus multum excellere putabatur Coſmus (136), exhilarabant convivia moderata et honeſta. Nam quamvis tanta facta eſſet pecuniae acceſſio, ut veluti alter Craſſus, cognomine dives appellaretur (137), nihil de quotidiano cultu mutavit, nihil de vitae conſuetudine; intelligebat enim magnum eſſe vectigal parſimoniam; & vitae modeſtiam non parum valere contra falſos rumores. Porro non facile invenies, qui aeque ac Coſmus, ſolitus metiri uſum pecuniae non magnitudine, ſed ratione, ampliſſimis divitiis tam bene, tamque glorioſe uſus ſit (138). Et quoniam hoc ſubſidium nonnunquam neceſſarium eſt ad retinendas aut recuperandas hominum voluntates, non omnem largitionem corruptelam esse dicemus, cum Coſmus, quo plures ad bene conſulendum Reipublicae adjutores haberet, aut aes alienum ſuſceperit amicorum, aut in filiarum collocatione eos adjuverit, aut opitulatus iiſdem ſit in re quaerenda vel augenda. Profecto minime eſt du-

bium, quin illa benignitas, quae conſtat ex opera & induſtria, & honeſtior ſit, & latius pateat: nonnunquam tamen eſt largiendum, & ſi hoc benignitatis genus in illa temporum confuſione repudiaſſet Coſmus, non tanta ſtudia eorum, qui ab eo dona acceperunt, aſſecutus eſſet. Venia igitur interdum neceſſitati eſt danda, niſi dicere velimus gravi homini, & ea, quae faciebat, judicio certo ponderanti ſummo honori fuiſſe, quod largitione temporibus neceſſaria & ad facultates ſuas accommodata multos in fide & caritate ſui atque patriae retinuerit. Omnino tria illa, ex quibus ſumma & perfecta gloria adminiſtrantium Rempublicam conſtat, ſi diligit multitudo, ſi fidem habet, ſi cum admiratione quadam honore illos dignos putet, nunquam non ſpectavit Coſmus; & quia amor multitudinis commovetur non tam opinione liberalitatis, beneficentiae, juſtitiae ac prudentiae, ſed etiam iis virtutibus, quae pertinent ad manſuetudinem morum ac facilitatem, non tam domi, quam foris ſpeciem prae ſe boni & humaniſſimi viri ferebat. Quod vero ejus comitas non ſine ſeveritate erat, neque gravitas ſine facilitate, efficiebat, ut eum ſui & amici non magis vererentur, quam amarent. Omnino nemini nolebat eſſe incommodam gravitatem ſuam, quapropter ſiſcitanti aliquando uxori, quare nimium tacitus eſſet, & ſaepe oculos clauſos haberet, reſpondit: *quia tu mihi in oculis es, & in tui cogitatione libentiſſime acquieſco.* In

Intentum animum, tanquam arcum, habebat, ne languefcens ſuccumberet ſenectuti; & cum deerant graviores occupationes, ſe & Nepotes oblectabat narratione dictorum & factorum, in quibus non magis ingenium eminebat, quam prudentia. Vigebat in illa domo antiquus mos & diſciplina, atque Coſmi extrema aetas in hoc beatior, quam media, quod quo laboris minus habebat, ut Reipublicae, quae nullo externo bello flagrabat, conſuleret, plus tribuebat temporis exercitationibus virtutum, atque gubernationi familiae. *Habemus liberos parvos* (ſcribebat aliquando ad Petrum); *incertum eſt, quam longa noſtrorum vita futura ſit: conſulere vivi ac proſpicere debemus, ut illorum ſolitudo ac pueritia firmiſſimis praeſidiis munita ſit*. Neque minus ſtudebat, ut Nepotes magno amore inflammarentur in patriam & litteras, qua in re non ipſe modo iis poterat eſſe exemplo, ſed etiam Petrus, cujus optimi ſemper fuerunt de Republica ſenſus, & eximia opera in provehendis optimis diſciplinis (139). Erat & in Petro ſumma comitas, & indulgentia in liberos, & quamvis in fragili corpore odioſa omnis offenſio ſit, quae tamen adverſa Coſmo accidebant, leviora fiebant & bonis moribus, & artibus. Nec illum ſolum ratio impellebat, ut patientia ſua molliret adverſariorum animos, ſed etiam utilitas: minime enim obſcurum eſſe poterat, extincto Patre, fore ut obſtinatiores vel ad evertendam,

vel ſaltem ad infirmandam familiae potentiam conſpirarent. Id ipſum reſpiciens Coſmus, cum ſibi vitae finem inſtare intelligeret, haec dixiſſe fertur. *Nolite arbitrari, o mihi cariſſimi filii, cum a vobis diſceſſero, vos laetos fructus ex iis rebus, quas geſſi, poſſe percipere. Eoſdem creditote eſſe mores civium, qui fuerunt, cum, multis incumbentibus ad meam perniciem, in exilium pulſus fui. Nam etſi multis malefaciendi libertas graviſſimis poenis erepta eſt, quorum calamitates aequo animo ego tuli, ne miſericordia in ruinam patriae libertatis caderet, quod nunquam tamen defuerunt, qui dominari vellent, cum his perpetuum bellum mihi gerendum fuit, & vobis aeterna ſollicitudo remanebit, cum intelligetis aut ſerviendum eſſe, aut per ſummam induſtriam, maximaque pericula patriae libertatem & familiae dignitatem conſervandam. Poteſt ne in tam diverſis mutabilibuſque mentibus pax aut amicitia eſſe? Quare moneo hortorque vos, ut incumbatis ad ſalutem Reipublicae, ut circumſpiciatis omnes procellas, ut nemini credatis, niſi illi, quem diu fidelem experti eſtis, & quem prudentem & bene animatum in patriam inveneritis, hunc conſulatis, omniumque veſtrarum actionum moderatorem habeatis. Si gloriae & famae vos cupiditas tangit, eximiam illam & praeclaram eſſe putate, quae a bene & praeclare geſta Republica proficiſcitur, in qua niſi recte factis atque honeſtis vitae rationibus excellere impium execrabileque eſt. In privata vita or-*

do, moderatio atque aequabilitas conſpiciatur: in honeſtos homines & prudentes liberalitas, quae ab oſtentatione potentiae & largitionis abſit, ſemperque habeat beneficentiae commendationem. Tanta vis eſt virtutis, ut cum aliquid humaniter, manſuete, juſte, moderate factum auditur, vel improbi admirentur, retineanturque ab laedendo eo, qui benefaciendo ſe ſupra ceteros extollit. Severitas, Reipublicae tantummodo debita, ita exercenda eſt, ut medicinam imitetur, quae membris non parcit, quae ſanari poſſe deſperat. Neque tamen vos hortor, quod ſaepe majores noſtri fecere, uti contra injurias armati eatis. Haec ſunt & turbulenta, & temeraria & periculoſa, quae multos praecipites egerunt, & incrementa attulerunt potentiae eorum, in quam invadebatur. Exterorum Principum amicitias & veſtrorum, & Reipublicae maxime cauſſa colendas cenſeo, atque utinam ille Franciſcus Sfortia, qui per nos ad tantam fortunae amplitudinem pervenit, eumdem ſervet animum, quem aliquando geſſit. Illo enim ſocio & amico, haec Reſpublica obſiſtere poterit multorum odiis, & coercere ambitionem eorum, qui ſe dominos eſſe univerſae Italiae concupiſcunt. Hoc a Deo immortali ſemper precatus ſum, ut per ſe potens haec civitas eſſet, nec alieno ſemper indigeret auxilio. Sed quia multa adverſa fuere, & ad aequandas potentiorum vires foederibus opus eſt, in his feriendis optime is patriae conſulet, qui univerſae Italiae rationem habebit. Gaudeo me hac in re, ut &

in aliis multis, boni civis munus executum fuiſſe, & maximos labores, & ſumma, quae adii, pericula in patriae utilitatem ceſſiſſe. Quoniam igitur ita vixi, ut me non vixiſſe poeniteat, & habet natura, ut aliarum rerum omnium, ſic vivendi modum, non dolebo, quaſi decurſo ſpatio, me ad calcem perveniſſe, praeſertim cum mors meliorem, quam qui eſt in hac miſerrima vita, ſit allatura ſtatum. Ita Deum mihi velim propitium, ſicuti confido fore, ut in coetu eorum, qui juſtitiam & pietatem coluere, & patriam conſervarunt, adjuverunt, auxerunt, aevo ſempiterno fruar. Haec oratio magno viro & ſapiente digna declarat Coſmum nunquam de negotiis cogitare deſiiſſe, & ſenectutem & vicinam mortem, quae languorem afferunt ceteris, illum acuiſſe, ut ſibi magis magiſque, patriae & liberis proſpiceret. Providebat enim animo hos, veluti qui proximis littori vadis inducti mare pedibus ingrediuntur, quidquid progrederentur, in vaſtiorem altitudinem ac velut profundum invehi.

Quod hoc tempore requieſcens a Reipublicae muneribus ſe in Careggianum receperat, ut a coetu hominum frequentiaque remotus ſecum liberius loqueretur, ibi eum mors, quam praeſertim podagra attulit, oppreſſit. Ut audivit eum vehementer aegrotare Franciſcus Sfortia, miſit clarum medicum, qui ipſi medicinam adhiberet. Sed ipſe ab nullo alio ſolatio levari potuit, niſi ab iis, quae divinitus inſtituta ſunt ad

expiandos animos. Ex illis, quae ſcripſit Petrus, ut Liberos certiores faceret quo in ſtatu vita eſſet Patris, intelligi poterit quam hic integra mente, quantoque cum ſtudio rerum, quae ad religionem pertinent, de ſtatione vitae diſceſſerit (140), quod accidit Kalend. Sextilis ſub ſolis occaſum an. MCCCCLXIV. Nullum teſtamentum fecit, & funeris pompam vetuit. Nihilo tamen minus Florentini mortem tanti civis non ſolum luctu publico, ſed etiam exequiis, quarum nullae frequentiores fuerunt (141) laudatione & monumento contra defuncti votum honorandam eſſe putarunt. Orationem habuit de ejus laudibus vir civitatis ampliſſimus Donatus Acciajolius (142). Illa vero laus fuit univerſi populi, qui, quod ab ipſo urbs ſervata & illuſtrata fuerat, ſolemni decreto PATREM PATRIAE appellavit, & nomen omnium glorioſiſſimum, quod ſane perpauci in omni memoria meruere, in ejuſdem tumulo inſcribi juſſit. Sic enim titulus habet. COSMUS MEDICES HIC SITUS EST DECRETO PUBLICO PATER PATRIAE. VIXIT ANNOS LXXV. MENSES III. DIES XX. Haec leguntur in Laurentiana Baſilica ante aram principem. In ſubterraneo vero loculo ad ejuſdem latus haec inſcripta ſunt. PETRUS MEDICES PATRI FACIENDUM CURAVIT. Talis fuit exitus vitae viri, omnium, quos habuit Florentina Reſpublica & Mediceorum familia, ampliſſimi. Ob ejus mortem Petrus conſolatorias epiſtolas ab omnibus fere Italiae Principibus accepit, qui

Digitized by Google

ſingularibus verbis declarabant quanti illum feciſſent; perinde ac si unus ex omnium memoria ſapientiſſimus eſſet judicandus (143). Et re quidem vera quid majus & admirabilius eſt, quam privatum hominem ſolis armis prudentiae triginta & amplius annos ferme imperium exercuiſſe in ſuos, pauca ad ſuam, pleraque ad utilitatem publicam retuliſſe, de ſtatu rerum Italicarum, de pace, de bello conſuluiſſe, reges magnificentia ſuperaſſe, mirifice faviſſe ingeniis, doctrinis & artibus liberalibus, eamdem animi magnitudinem in omni fortuna prae ſe tuliſſe, & poſteris ſuis reliquiſſe ampliſſimum patrimonium bonorum, atque nominis, ac gloriae immortalis?

FINIS.

Digitized by Google

INDEX

A

Academia Platonica quando inſtituta 136. a Coſmo quam provecta 174.
Acciajolus Angelus 43. in exilium mittitur 44. legatur ad Sfortiam 91. ad Gallorum Regem 122.
---- Donatus 141.
Accoltus Benedictus 133.
---- Franciſcus 134.
Adimarius Alamannus 144.
Adornii 163.
Albergatus Cardinalis 16. 25. 106.
Albertius Leo Baptiſta 29.
Albitius Ormannus 47. pellitur in exilium 49.
---- Rainaldus ejus ſeditioſa conſilia 13. 31. 34. 39. ſuaſor belli Lucenſis 20. puniendi Coſmi 31. 34. quid geſſerit ne ipſe revocaretur in patriam 45. ejus oratio ad Pont. 46. *pellitur* in exilium 49. ejus voces irarum plenae 50. 53. 86. machinae adverſus patriam 78. moritur 86.
---- Thomas 4.
Alexandria Cornelia 130.
Allius Antonius 175.
---- Peregrinus 176.
Ammiratus Scipio 2. 112.
Anfroſina a Monte Dolio ſuis oppidis ſpoliata 85.
Andegavenſis Joannes 163. 167. bellum gerit cum Ferdinando Aragonio 171.
---- Renatus 57. 70. 93. 109. 118. Florentiam venit 95. in in Provinciam redit *ib.*
Anglarienſis Gregorius 118.
Anglarium 82.
Antoninus S. Archiep. Florent. 122. 150.
Appiana Catharina 111.
Appianus Jacobus Plumbini Dominus 23. 111.
Aragonius Alphonſus Rex 57. 70. 94. ejus victoriae 95. favet Pontifici 96. bellum Florentinis & Sfortiae movet 97. 107. Vicit primo 112. poſt victus ab Etruria diſcedit 113. paci conſentit 114. Venetis junctus bellum renovat 121. acri-

ter

ter perſequitur 123. pacem facere cogitur 129. Jacobum Piccininium ad bellum incitat 145. caussa novorum motuum in Italia 163. moritur ejusque laudes *ib.*
Armeni Latinis reconciliati 73. 93.
Arnus navigabilis redditur 166.
Argyropylus Jo. 140.
Aſſiſii arces Cosmo oppigneratae 89.
Attavantius Rubeus 125.
Attendolus Michaelottus 24. 82. 84.
—— Mutius 53. 69.
Ateſtinus Leonellus 107.
—— Nicolaus 11. 40. 47. 88.
Aurispa 139.
Aventia capitur 59.

B

BAgnacavallum venditur 88.
Barbadicus Hieronymus 129.
Barbadorius Antonius 168.
—— Nicolaus 31. 45. 50.
Barbarus Franciscus 43. 72. 135. 151.
Bardia Lecta Contessina Cosmi uxor 6.
Barga obseditur 60.
Baſilica S. Laurentii 149.
Becchius Gentilis 186.
Benedictus XIII. 6.
Benitius Carolus 168.
Bentivolus Hannibal 97. 101. occiditur *ib.*
—— Hercules 101.
—— Sanctes 101. 102.
Beſſarion Cardinalis 72.
Bisaldimus Petrus 114.
Blanca Vicecomes a Sfortia uxor expetitur 62. illi despouditur 68. 74. 90. nubit 92.
Bonarrotius Michael Angelus 156. 160.
Bondelmontius Chriſtophorus 135.
Bononienſium vices 57. 69. 97. 101. Florentinis juncti 122.
Borghinius 159.
Bossius Matthaeus 160.
Bracciana factio 57. 147.
Bracciolinius Poggius 30. 86. 133. 135.
Brunelleschius Philippus 21. 29. 149. 150. 152. 155. ejus monumentum 156.
Brunius Leonardus 6. 30. 133. 140.
Brunorius Petrus 60.
Bueria Piccarda 2.
Burgundiae Dux 93.
Burgus S. Sepulcri 58. conceditur Florentinis 88.

By-

Byzantium a Turcis occupatum 139.

C

Caesarinius Card. 72.
Cajmus Eusebius 90.
Calandrinius Thomas: *vid.* Nicolaus V.
Calcondyles Demetrius 142.
Caleschius Joannes 103.
Calliſtus Jo. Andronicus 142.
Calliſtus III. P. 146. 164.
Campilia obſeditur 110.
Caniſianius Antonius 175.
Cannetolus Jo. Baptiſta 101.
Capponius Ginius 11.
---- Nereus 44. 76. 81. 84. 91. 99. 100. 101. 102. 126.
Carolus VII. Gallorum Rex 163.
Carpi Princeps 121. 165.
Carraria capitur 59.
Casentini Comes 78. *vid.* Guidius.
Cassiani S. arx Florentinis subjicitur 58.
Caſtigliunculus Lapus 141.
Cavalcantius Joannes 175.
Cocchius Nicolaus 44.
Coleonius Bartholomaeus 104.
Comineus Philippus 132.
Concilium Conſtantiense 7.
---- Baſileense 26. 70. 71. 73. diras imprecatur Eugenio & Felicem V. Pont. eligit 73.
---- Florentinum 70. & seq.
Corſinius Matthaeus 175.
Corvinus Joannes Pannoniae Rex Turcas vicit 146.
Coſſa Balthasar 6. privatus Pontificatu maximo 7. cardinalis creatur 8. ejus mores & mors *ib.* monumentum 9.
Cremona Sfortiae conceditur 91.
Chrysoloras Emanuel 140.
Cydonius Demetrius 240.
Cyriacus Aethiopiae Rex 92.

D

Datus Leonardus 7.
Davanzatius Julianus 67.
Dellius 29.
Dio Syracusanus 137.
Dolfinius Matthaeus 149.
Donatellus 9. 29. 158. 159.
Donatus Andreas 41. 74.
---- Jacobus *ib.*
Duvadula quando subjecta Florentinis 88.

E

Eduardus IV. Anglorum Rex 132.

A a Eleo-

Eleonora Portugalliae Regis filia 123.
Enochius Albertus 136.
Ephrem Syrus in Latinum converſus 87.
Eugenius IV. Pontifex creatur 23. Florentiae commoratur 45. Coſmum adverſus Albizium tuetur 46. Florentia diſcedit 55. ejus adverſa fortuna 57. concilium Florentiam transfert 70. quid a Baſileenſi ferrè debuerit 71. 73. 88. quid egerit ut Graecos alioſque cum Latinis reconciliaret 73. 93. oppida quaedam vendit 88. paci conſentit 92. retinetur Florentiae *ib.* de recuperando Piceno cogitat 94. duriter accipit Renatum Regem 95. cum Sfortia bellum gerit 98. 104. pacem facit 99. dat ſigna irati animi Florentinis 104. moritur 106.

F

FAesulana templa a Coſmo aedificata 150.
Faeſulanus Joannes 29.
Farganaccius quam utilis Coſmo fuerit 34.
Felix V. 74. 96.
Feltrius Fridericus 99. 103. 107. 111. 123. ejus laudes *ib.* 128. 165.
Ferrariae concilium habetur 71.
Ficinius Marſilius quam Coſmo acceptus 136. quam doctus 137. 175.
---- ejus pater 136.
Florentinorum mores & artes 7. 18. 24. 28. 29. 71. 81. 131. 170. bella eorum cum Mediolanenſium Duce 11. 12. 24. 55. 75. 90. et ſeq. paces 11. 27. 92. Lucenſibus bellum movent 20. inſtaurant 55. non admodum valebant militari virtute 24. diſputant cum Venetis Franciſci Sfortiae cauſſa 63. de trasferendo concilio Florentiam laborant 70. qui ad illud venerint 72. quot beneficiis a Graecorum Imperatore affecti 75. quid a Picininio timuerint 79. vincunt Picininium apud Anglarium 82. bello laceſſuntur ab Alphonſo Rege 97. 107. 123. quantum Coſmo tribuerent 100. Sfortiae ſuccurrunt 104. a Nicolao V. quantum honorati 106. quam fidi Venetis 110. 115. vi-

victi a Neapolitanis 112. pacem cum iis faciunt 114. reprehenſi a Venetis ob auxilia Sfortiae data 118. cauſſae iis reſiſtendi 121. novum bellum cum Neapolitanis ſuſtinent 125. & sequent. quam de litteris bene meriti 138. 140. de architectura, pictura & sculptura 29. 156. & seq. quantum valerent in apparandis spectaculis 166.
Fortebraccius Nicolaus 20. 24. 46. 57. 58.
Forum Livii 11.
Foscarus Venetorum Dux 66.
Fregoſius Petrus 163.
---- Thomas 11. Liburnum vendit 12. Sergianum amittit 54.
Fridericus Caesar Romam petit 122.

G

Gallorum Rex Florentinis favit 122. Cosmi ſtudiosus 132.
Gambacurta Joannes 6.
Gemiſtus Pletho 136.
Genuenses eorum vices 11. 20. 22. 24. 53. 57. 103. 106. 163. potiuntur Petra Sancta & Motrono 22. Florentinis juncti 122.
Ghibertus Laurentius 159.
Gonzaga Ludovicus 60. 121.
Graecae litterae per quos excultae 135. quando in Italia florere coeperint 139.
Graecorum cum Latinis unio agitata 71.
Gregorius XII. 6.
Guadagnius Bernardus 32. 34. 39. 51.
Guicciardinius Jo. 45.
Guidius Franciscus Picininio favit 80. caussae odii illius in Cosmum *ib.* sua ditione spoliatur 85. 101.
---- Guelfus 19.
Guidobonius Antonius 89.

H

Hebraei 27. eorum avaritia coercita 147.

J

Joanna Neapolis Regina 8. 56.
Joannes XXIII. *vid.* Cossa.
Italiae ſtatus 56.
Juris prudentia per quos provecta 134.

Digitized by Google

K

Kyriacus Anconitanus 143. a Cosmo Eugenio IV. commendatus 144.

L

Ladislaus Bohemiae Rex 122.
Laertius Diogenes interpretatus 87.
Landinius Criſtophorus 140.
Lascaris Jo. 142.
Latinae litterae a Cosmo provectae 134.
Liburnum quando & quanti emptum a Florentinis 12.
Lippius Laurentius 175.
—— Philippus 256.
Lucense bellum 20. quo modo finierit 27. inſtauratur 59. trahitur ſubſidiis Mediolanenſium Ducis 60. 62. 67. quem exitum habuerit 67. ejus nunquam curam depoſuit Cosmus 171. 179.

M

Macchiavellius Hieronymus 168.
—— Nicolaus 2.
Maffejus Thimotheus 174.
Mahometes Byzantium occupat 145.
Malaspinae 54.
Malateſta Sigismundus 103. 109. 111. 118. 122. 124.
Malateſtae a Florentinis desciscunt 78. cum iis in gratiam redeunt 88.
Malavoltus Fridericus 33. 34.
Maletus Albericus 129.
Manellius Ramundus 24.
Manettus Jannottus 114. 141.
Manfredius Aſtorres 83. 91. 122.
—— Guido Antonius 62. 104.
—— Ludovicus 19.
Marcianum coenobium a Cosmo reſtauratum 150.
Marcus Epheſius 73.
Marradium quo tempore captum 19. quam natura munitum 79.
Marsuppinius Carolus 30. 56. 131. 133. 140.
Martellius Antonius 47.
Martinus V. 7. Florentiam venit 8. Florentinis irascitur 15. de conjungendis Graecis & Latinis cogitat 71. moritur 25.
Masaccius 29. 156.
Masolinius 29.

Mas-

Maſſa Lombarda venditur 188.
Mediceus Averardus 32. 37. 47.
——— Bernardus 84. 95. 104. 107. 129. 131.
—— Carolus Cosmi Filius 130.
—— Cosmus ejus ortus 2. inſtitutio 5. obses Pisanis datur 6. Conſtantiam concedit *ib.* odia Philelphi in ipsum 9. quos genuerit filios 10. 130. quando magistratus gerere coeperit 10. Mediolanum legatus mittitur 11. Lucam, Bononiam & Romam 15. quam gratus Pontifici 16. suasor belli Lucenſis 20. Verouam concedit 23. pacificatorius legatus ad Pont. 27. auctor saluberrimarum legum *ib.* 144. 147. fautor eximius litterarum 30. 132. in invidiam adducitur 30. in judicium vocatur 33. carceri mandatur *ib.* pellitur in exilium 35. ejus oratio ad populum 35. 48. ad Venetos 63. 118. ad liberos 178. ejus magnitudo animi 39. magnificentia 42. 142. 148. honoratur a Venetis 40. conſilia de revocando ipso ab exilio 44. revocatur 47. quomodo a patria exceptus 48. Vexillifer creatur 52. 70. reſiſtit Mediolanenſium Duci et bellum Lucense inſtaurat 55. persequitur 59. ejus salsa dicta 53. 78. 124. 160. 176. de augenda Florentinorum ditione laborat 58. 85. 88. Venetias legatur 63. Ferrariam ad Pont. 68. quot et quanta pro Sfortia gesserit 69. 77. 88. 97. 99. 104. 105. 116. 129. Concilium Florentiam transferendum curat 70. quid tum egerit 72. rogant eum Veneti ut ſibi ſuccurrat 74. alienat a se Casentini Comitem 81. quibus adiutoribus utebatur 75. 871. qua via ad summam potentiam perveuerit 89. 100. 175. paci consulit 92. 99. 167. Bononienſibus favit 102. Genuenſibus 103. Venetis adversus Alphonsum Regem 107. quam fortiter & prudenter in hoc bello se geſſerit 114. 122. 129. hospitio excipit Fridericum Caesarem 122. Galeatium Sfortiam 160. aequilibritatis politicae auctor 129. 165. quemadmodum familiae consuluerit 130. 148. 162. quam gratiosus 132. quid contulerit
ad

ad incrementum litterarum 134. et seq. auctor Academiae Platonicae 136. quam Platonicorum ſtudioſus 137. et seq. 174. bibliothecae ab eo inſtitutae 142. templa aut erecta aut reſtaurata 149. et seq. domus ruſticae et urbanae ab eo aedificatae 152. 153. quid ei debeat architectura 155. pictura 156. ſculptura 158. quae a Pittio tulerit 169. Gallis favit 171. nunquam animum depoſuit ſubigendi Lucenses ib. cauſſas habet querendi de Sfortia 171. 179. quam domi magnus 172. 177. ejus pietas 160. 174. 180. quam dives 132. 175. quam ſapiens in divitiarum uſu 175. ejus mors 181. honores funebres ib.

—— Joannes Coſmi pater 2. ejus mores 3. 17. divitiae 3. legationes et munera 4. conſilia pacifica 12. odia Albitii in ipſum 4. Philelphi 9. ſtudia erga Joannem XXIII. Pont. 7. 9. plebis fautor eximius 13. novi tributorum generis ſuaſor 14. a Pontifice Montis Viridis Comes creatur 16. moritur ib. ejus oratio ad filios 17. Baſilicam S. Laurentii aedificare inſtituit 149.

—— Coſmi filius 10. 130. moritur 162.

—— Laurentius Coſmi frater 4. cum eo in exilium mittitur 37. honoratur a Venetis 40. revocatur ab exilio 47. legatur Ferrariam Concilii cauſſa 70. moritur 86. exequiae illius pompae plenae ib.

—— Laurentius Coſmi nepos 130. 162. 165. 170.

—— Petrus Coſmi filius 10. 106. 128. 130. 159. 161. 177. 181.

—— Verus ejus moderatio 3. 38.

Mercatus Michael 175.

Michelottius Architectus 29. 42. 152. 154.

—— Bernardus 175.

—— Nicolaus 175.

Migliorius 159.

Minuccius Antonius 43. 134.

Moneta capitur 59.

Mons Caroli a Florentinis capitur 59.

Motronum a Genuenſibus captum 22.

N

NEapolitanum Regnum quot bellorum cauſſa fuerit 57.
Neronius Dietisalvius 116. 129.
—— Locterius 175.
Niccolus Nicolaus 30. 135. 143.
Nicolaus V. 50. 106. 143. pacis auctor inter Florentinos & Neapolitanos 114. 127. ejus curae de comparandis codicibus 135.
Nicolaus Piſanus reſiſtit Picininio 79. capitur 83.
Nutius Bernardus 175.

O

ORdelaffius Georgius 11.
Orlandinius Bartholomaeus 79.

P

PAcinius Antonius 136.
Pactius Antonius 109.
—— Petrus 141.
Paleologus Joannes Graecorum Imperator 72. Florentiam venit 72. ab ea discedit 73.
—— Demetrius 72.
Palmierius Mathaeus 141.
Pandolfinius Jannottus 128.
Panormita a Florentinis accitus 29.
Patriarcha Conſtantinopolitanus Florentiam venit 72. ibi moritur 73.
Petra Sancta a Genuenſibus capta 22. a Mediolanenſibus obſeſſa 58.
Peruzzius Rodulphus 45. 47. 49.
—— Ugolinus 141. 143.
Philelphus Jo. Marius Cosmi laudator 172.
—— Franciscus quam meledicus in Mediceos 9. 46. 86. 172. Florentiam vocatur 29. 140. de occidendo Cosmo aliisque cogitat 56. sententia de eo ib. in Graeciam ivit 139.
Philippus Burgundiae Dux 132.
Picenum a Sfortia occupatum 76. 93. 98.
Picininius Franciscus 97. 98. 104.
—— Jacobus 145.
—— Nicolaus 21. 24. 54. 55. 60. 67. 68. 69. 74. 75. 77. 78. 79. 82. 90. 94. 95. 96. 97. 98. moritur 99.
Pieroctius: vide S. Antoninus.
Pilatus Leontius 140.

Pi-

Piſae ſubjectae Florentinis 6. quam crudeliter hi in illas ſe geſſerint 30.
Pius II. 139. 164. Chriſtianos Principes ad bellum contra Turcas incitat 165.
Pittius Joannotius 107.
—— Lucas 44. 78. 116. fingit ſe Coſmi amicum 168. quam potens 199. conjurat in Mediceos 170.
Plato in Latinum converſus 137.
Platonica Academia quando inſtituta 136.
Plumbinum ab Aragoniis obſeſſum 109. 111.
de Poetis Gabriel 167.
Pontremulum a Florentinis defenſum 105.
Porcianum paret Florentinis 88.
Pratum Vetus quando a Florentinis captum 58.
Puccius 32. in exilium mittitur 37.
Puppii Comes 57. *vide* Guidius. a Pontifice exagitatur 57.

Q

Quarqualius Cherubinus 175.

R

Raguſinus Archiepiſcopus 146.
Raphael Urbinas 156.
Ravenna capitur a Picininio 69.
Razzius Silvanus 2.
Recchesenſius Garzerarius 112.
Riccius Petrus conjurat 144.
Robbia 29.
Robertus Florentinus 139.
Roma a Neapolitanis capta 8.
Rutheni Latinis reconciliati 73.

S

Sabaudiae Dux 121.
Sacchettus Franciscus 114.
Salutatus Coluccius 145.
Scala Bartholomaeus 133.
Scarampius Ludovicus 81. 84.
de Scarparia Jacobus 139.
Seraphicus Antonius 175.
Sermoneta a Florentinis accitus 29.
Sergianum capitur 54. 59.
Sfortia Alexander 125.
—— Franciscus 21. Coſmo & Florentinorum partes ſequitur 53. Pontificem vexat 57. 92. multa praeclara in Lucenſi bello gerit 60. revocatur ab eo 61. Lucam rediit *ib.* diſputationes inter Florentinos et Venetos de ſolvendis illi ſtipendiis 62. pacem inter Florentinos & Lucen-

censes conciliat 67. Blancam Vicecomitem uxorem ſibi dari optat 62. illi deſpondiſur 68. 90. nubit 92. in Apuliam tranſit dimicaturus cum Rege 69. a Venetis ejus fides imploratur 74. foedus cum his & Florentinis paciſcitur 75. Venetias venit 80. 91. Victor in Ciſalpina Gallia 82. quantum a Coſmo re & conſiliis adjutus 97. 99. 103. 105. cum Picininio reconciliatur 95. coactus dimicare cum Aragoniis fugit 97. vicit Picininios 98. cum Pontifice pacem facit 99. cum Venetis feliciter dimicat 115. Mediolanenſi ducatu potitur 116. utrum major eſſet Urbini Comite 123. ſubſidia mittit Florentinis 125. domum Coſmo donat 154. non ſatis ejus beneficiis reſpondit 171. 179. ad eum aegrotantem medicum mittit 180.
---- Joannes Galeatius hoſpitio a Coſmo excipitur 166.
---- Leo 94.
Sigiſmundus Caeſar in Italiam venit 26. Florentinos incuſat ib.
Simonetta 82. 104. 122. 124.
Solon philoſophus 137.
Sozomeni hiſtorici ſcripta 150.
Sozzinius Marianus 134.
Stroctius Pallas 26. Legatus Ferrariam mittitur 27. Albitium ſequitur 45. in exilium pellitur 50. ejus laudes ib. 106. 141.

T

Theſſalonicenſis Iſidorus 72.
Tolentinas Nicolaus 24. 33. a Mediolanenſium Duce occiditur 54.
Tornabonia Lucretia 130.
Tornaquincius Jacobus 139.
Toſcanellius Paullus 138.
Traverſarius Ambroſius 5. 30. 41. 71. 140. moritur 87. quae rogante Coſmo ſcripſerit 88. quae ab ipſo obtinuerit 151.
Tredotium a Florentinis capitur 19
Trincius Curradus 94.
Troilus a Sfortia Mediolanum legatur 75.
Triviſanius Zacharias 129.
Turcae victores 146. victi 147. foedus adverſus eos 165.

V

Vada capta a Neapolitanis 125.

Va-

Valorius Bartholomaeus 141. 175.
—— Franciscus 175.
—— Nicolaus 145.
Vasarius Georgius 155. 159.
Veneti victores 16. quam ſtudioſi Cosmi 40. ad Italiae imperium aspirant 56. Franciscum Sfortiam a Florentinis petunt 61. 74. illius caussa disputant 62. bello laceſſiti auxilia a Florentinis postulant 74. Brixiensem & Borgomensem agros obtinent 91. Bononienſibus succurrunt 97. Sfortiae 104. de occupando Mediolani ducatu cogitant 105. 107. 115. reprehendunt Florentinos ob auxilia Sfortiae data 118. inſide cum iis se se gerunt 120. & bello vexant 122.
Ventura Bernardus 112.
Vermius Aloysius 104.
Veſpaſianus librarius 135.
Ugolinius Baccius 175.
Viaregium a Florentinis capitur 59.
Vicecomes Bartholomaeus 129.
—— Philippus Maria Mediolani Dux 11. ejus mores 11. 21. 26. 53. 74. 94. 99. 103. 105. bella cum Florentinis 12. 54. cum Venetis 74. Lucenſibus favet 21. Genuam occupat 22. ad Italiae imperium aspirat 56. Sfortiam ſibi reconciliat 90. cum Venetis pacem facit 91. Bononienſes vexat 97. Aragonios in Sfortiam generum concitat 97. cum ipso bellum renovat 103. pacem ab eo petit 105. moritur 107.
Vitelleschius Jo. Recanati Episcopus 46. Florentinus Archiepiscopus 58. 78. occiditur 79.
Ursinius Aversus 128.
—— Joannes Paullus 80.
—— Napoleo 128.
—— Rainaldus 111. 113. 114.
a Vulpe Nicolaus 136.
Uzzanius Nicolaus 4. 20. 31. moritur 32.

Z

Zoppa Vincentius 154.

FINIS.

ERRATA			CORRIGE.
Pag. 6. lin.	22.	Coſtantienſe	Conſtantienſe
———	24.	Bruno	Brunio
7. lin.	8.	Coſtantienſi	Conſtantienſi
33. lin.	6.	coſtantiam	conſtantiam
66. lin.	7.	ſoedigraſos	ſoedifragos
132. lin.	2.	preſecuti	perſecuti
171. lin.	10.	fllexere	flexere
176. lin.	25.	ſiſcitanti	ſciſcitanti

MAG 2016536

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google